

9

DE LIBELLO  
CONTRA  
BENIAMINVM KENNICOTT

S. THEOL. DOCT. ET C.

Ejusque Collationem MSS. Hebraicorum

NVRER GALLICE EDITO

*EPISTOLA AD AMICVM*

EX ANGLICO VERTIT SVASQVE AD EVMDEM  
BENIAMINVM KENNICOTT LITTERAS ADIECIT

PAVLLVS IACOBVS BRVNS

LVBECENSIS.



ROMAE CLO. CCC.LXXII.

TYPIS GENEROSI SALOMONI

---

PRAESIDVM FACVLTATE.

Bint. 393 (9)  
25W

*Nec probrum audire debemus, nisi ea lege,  
ut respondere liceat.*

Cicero lib. iv. de Rep.



## AMICO S.



CCCEPI Tuas litteras de libello Gallice conscripto contra D. Kennicott, ejusque opus nuperrime edito; ex quibus quid Tui judicii de eo fit, quod quidem Tibi commune cum aliis est, intellexi: nimurum, si quæ in eo libello studiose in Anglia, & peregre distracto objecta sunt, quæ breviter refelli possint, ea in vulgus proferenda esse. Cupis quidem certe, quum nec Gallice satis scias, nec Kennicotto consuetudine junctus sis, et si operis ab eo instituti subscriptor fueris, ut quandoquidem in otio ipse sum, præcipua Tibi ejus argumenta perstringam; idque potissimum quod nihil hujusmodi ab Kennicotto exspectare licet, qui modo in opere suo adornando, parandoque ad edendum totus est.

Facio quidem non invitus, ut Tibi morem geram. Itaque ab inscriptione libelli ordiar: *Lettres de M. l'Abbé . . . Ex-Professeur en Hebreu en l'Université de . . . au Sr. Kennicott Anglois Oc. 1771*, ac licet Parisiensibus typis expressus sit, titulus tamen, ut inde frau-

## ( IV. )

dem lectoribus fieri cœptam intelligas, Romam mentitur. Libellus ad anonymos referendus est. Sed casu accidit, ut originem ejus probe edoctus sim, quam noscere Te quoque non injucundum erit.

Confectus est a societate quorumdam R.R. Patrum Capuccinorum in conventu vici S. Honorati Parisis. Quæ quidem societas coalescit ex fratribus Ludovico de Poix, Hieronymo d'Artois, Seraphino de Paris &c. (nam istorum mihi duntaxat nomina innotuerunt) moderante Abbatे de Villefroy. Hoc certo loco se res istiusmodi societatis habebant, hæcque ejus membra paucis ab hinc annis. Ediderunt opus inscriptum *Principes discutēs*, explanans, ut videri potest, principia linguae Hebraicæ; cuius quidem operis bina Volumina in annos singulos prodierunt, duo autem postrema xiii, & xiv. anno 1762. Eodem anno evulgarunt *Psalmarum Versionem novam ex Hebreo Fonte* cum Prooemio, in quo hypothesin, & principia interpretationis suæ explanant. Anno 1760. a Clemente XIII. Pontifice Maximo decreto cohonestati fuerunt ob studia, quæ Sacro interpretando codici impendunt, societati nomen, & auctoritatem fanciente. Appellata autem est *Societas Clementina* (datum id puto honori Pontificis) ad linguae sacræ cognitionem acquirendam, & ex Hebrei sermonis natura divinarum Scripturarum sensum eruendum. Vide *Psalmarum Versionem novam*, Prooemium, & Epistolas Benedicti XIV, Clementis XIII, & Cardinalis Passionei ipsi præfixas.

Hos autem viros auctores esse memorati libelli, argumentis indidem petitis adeo evidens est, ut certius esse non possit, si nomina apposuissent. Afferitur pag. 13<sup>o</sup>. in

in Parodia ex Racino librum claudente , non unum eum confecisse ( \* ) , pluresque in eo studia sua contulisse . Principia eorum toto libro conspicua , singularia , ipsorum denique propria . Explicationes cujuscumque versus citati ex Psalmis congruunt Versioni novæ ; & in primis explicatio , quam afferunt ad Gen. II. 17. Epistola tertia plane eadem est , ac quæ exhibetur in Prooemio Versionis ( confer *Lettres &c.* pag. 60. cum Prooemio p. xxix. ) Hoc quidem exemplum eo majoris ad sententiam ferendam ponderis est , quod in nullius , præterquam in istorum virorum cerebro ejusmodi interpretatio oriri , aut adolescere potuit .

Examen Operis Kennicottiani auspicantur inquietantes primo in probitatem librorum , quibus usus est , quo loco statim singulare candoris sui specimen nobis exhibent . Animadverterat Kennicottus Diff. II , pag. 475 .  
 „ utramque , quæ in ore famæ est , Hebraicorum Bibliorum editionem , Bombergi Venetam , & Cardinalis Ximenis Complutensem , quod ea a viris , vel sub auspiciis viorum , qui erant , vel fuerant Judæi , impressa fit , quamquam de diversis MSS. desumptam , eodem tempore sub proœlo fudantem , eam tamen maximam fui partem eumdem Textum exhibere ; quum editores res numquam a Masora recedere voluerint , ad illam que Manuscriptos suos antea correxerint , quod aper te fatetur Bibliorum Venetorum Editor , & indicant , et si subobscure , Editores Bibliorum Complutensium , .  
 Habes rem ut se habet locupletibus auctoribus , qui lo-

A 3

co

( \*) Croyez ( à la vertu je dois cette justice )

Que je ne suis pas seul , & j'ai plus d'un complice .

eo indicato laudantur , confirmatam , quodque inde con-  
 sequitur extra omnem dubitationis aleam positum est .  
 Sed quo isti pacto haec narrant ? Ajunt pagina 4 , & ad-  
 huc clarius pag . 8 , Kennicottum affirmare , has duas  
 „ Editiones ad MSS. factas esse , quos Judæi suppeditaverint ;  
 „ atque idcirco Manuscriptos vitiosos esse , & textum ha-  
 rum editionum corruptum . His præmissis ad hunc mo-  
 dum concludunt „ Quid ? nonne nosti , per Judæos Bi-  
 „ blia ad nos venisse ? „ Et „ si textus impressus vi-  
 „ tiis obnoxius est , quoniam de MSS. desumptus , quos Ju-  
 „ dæi suppeditaverunt ; quæ fides danda est tuis eman-  
 „ dationibus , si omnia antiqua exemplaria a Te col-  
 „ lata , & ex quibus haæ emendationes proponuntur ab  
 „ iisdem manibus profecta sunt „ ? Interrogandi essent ,  
 num omnino sermonem libri a se ad confutandum sus-  
 cepti intelligent ? Si rudes ejus sunt ; qua fronte , qua  
 mente effutire talia ausi sunt , auctorisque sententiam ,  
 & argumenta inde se certo tenere , aliisque referre posse  
 sibi persuaserunt ? Sin periti ; quid , quæso , afferent , ne  
 auctoris mentem pervertisse videantur , vel qua tandem  
 ratione , ne animi sui candor in discrimen adducatur ,  
 efficient ?

Quum de animi candore loquor , aliud ejus speci-  
 men , quod initio primæ harum quinque Epistolarum oc-  
 currit , non prætermittam . Vitio vertunt Kennicotto ,  
 quod consilium cepit Biblia Hebraica immutandi , at-  
 que textum a se correctum edendi , hoc proposito pro-  
 grammate : *Præsina dignitati restitutum* . Atque hoc , quod  
 insimulant , amplius dilatant pag . 110 . *Imitez donc du*  
*moins Votre modèle ; plus réservé que Vous il s'est con-*  
*tenué*

tent de mettre les Variantes en marge , & nous a laisſé notre Texte tel qu'il est ; mais Vous , Vous prétendez faire une Bible nouvelle , c'est-à-dire faire un ſalmis des interprétations du Pere Houbigant , des conjectures de l'Abbé Ladvocat , des folies de Vos Manuscrits , de Vos propres fantaisies ; & Vous donnerez à cette composition le nom respectable de parole originelle de Dieu . Quorum dictorum unica , quam ipſi afferunt , probatio verba quædam ſunt ab ipſis in alienam ſententiam detorta ex prima Dissertatione D. Kennicott edita 1753. ſex ante annis , quam hoc opus aggredetur ; narratumque mihi eft , ne tum quidem , quum alteram Dissertationem 1759. edebat , conſilium cepiffe , hujusce operis aggrediendi , fi omnino aggrediendum erat . Sed quomodo cumque res habuerit , ſæpius publice , idque scripto typis commiſſo D. Kennicott profeffus eft , ſeſe in ſua editione ſingula verba Vander Hooghtianæ exprefſurum eſſe , ne unica quidem littera conſulto addita , vel detracṭa . Quapropter fi hoc ignorarunt , cavendum ipſis erat , ne quod non ſatis tenebant , de eo tam confidenter pronunciarent ; ſin noverant , magis adhuc hujuscemodi verborum pudere illos debuit . Neque enim obliviſci ea poterant , quæ ipſimet pag. 3. ſcriperunt : *Sur tout on donne bien de garde d'en imposer par quelque mensonge ou par quelqu'imposture.*

Pagina 5. ſpecimen criticæ , qua pollent facultatis exhibetur . „ Ante inventam artem imprimendi , in „ quiunt , numerus MSS. Bibliorum Hebraicorum i „ Europa fortaffe triente minor fuit , quam nunc eft „ Ita ut duo trientes noſtrorum MSS. recentiores ſint , elab

oratique , si hos viros audias , ad textum impressum . Qui quidem computus tamquam valde modicus habens est : nam pag.78. latius vagantur , Doctorique Kennicott persuadere volunt , quadringentorum MSS , quos contulit , vicefimo quoque ipsos novemdecim recentiores esse , atque nupere confectos . Quod quidem singulae Paradoxon explicatione ulteriori indiget , quæ pag.5. habetur ; „ Textus Hebraicus , inquiunt , ex optimis , MSS. impressus , magno honore per longum tempus exceptus est . Hebraicæ deinde linguae navare homines operam cœperunt ; sed quum mediocriter ingenium , & principia hujus linguae tenerent , quæcumque difficultas ipsis objiciebatur , erroris loco habebatur . MSS. ex omnibus partibus conquisiiti sunt , ut cum textu , impresso conferrentur ; pauci autem detecti . Sed quum res ad lucrum spectare inciperet , plus mille statim apparuerunt , quumque fumus , & cetera remotioris ætatis ornamenta extrinsecus accederent , magno in honore habitu a curiosis sunt , & auro contra redempti „ . Multas fictas , ac nihil fabellas aure me adhuc memini ; sed absurdiorum hac , aut per equæ absurdam profecto nullam .

D. Kennicotti diligentia , & *anepisæc* pag.9. accusatur , n eamque rem quinque , vel sex typographicorum errorum exempla afferuntur in verbis Hebraicis excerpta . x II. Dissertationibus ducentarum supra mille pagina- um , quorum præterea errorum primus animadversus am , & correctus est in ipsa Kennicotti Diff.I , pag.523. Tamen si quis contra minus accuratos hos ipsos homines dixisset , quod , ut ipse fatentur , 17. errata in par- vum

vum libellum irreperere siverint ( ipseque adeo correctio-  
num index erroribus non vacat ), additis præter illos  
aliis erroribus , quos vel ipsi non animadverterunt , vel  
animadversos silentio præterierunt , male credo secum  
actum , sibiique injuriam factam arbitrarentur .

Editio Bibliorum Hebraicorum auctore Houbigan-  
tio , Patre Oratoriensi vere docto , & ingenioso , dignissi-  
ma est , quam plausu , gratique animi significationibus  
eruditii omnes excipient . At illis Criticis pag. 10. , & 118.  
„ opus est levissimum , quod nunc a nemine non con-  
„ temnitur , ejus autem auctor ignarissimus proprietata-  
„ tum linguæ Hebraicæ . Quod quidem judicium de  
egregio Critico , tantaque confidentia prolatum plerique  
lectores stupebunt . Sed ut ejus interim caussam te-  
neant , norint , P. Houbigantium aliquot ante annis  
edidisse librum inscriptum *Examen du Pseautier François*  
*des R. R. PP. Capucins* ( nam etiam Gallice ipsorum  
Psalterium prodiisse videtur ) où l'on prouve 1º qu' ils  
ne doivent point prendre pour sujet ordinaire des Pseau-  
mes les Juifs captifs , & maltraités par les Chaldeens ; 2º qu' ils  
donnent une fausse idée de la langue sainte & qu' ils  
violent souvent les règles . *A la Haye . 1764. 8º* , in quo  
quidem libro omnes eorum hypotheses , & principia la-  
befactat , omnesque ineptias , & absurditates in apicum  
profert .

Alterius Epistolæ summa in eo versatur , ut funda-  
menta , quibus Kennicottus opus suum inædificat , ine-  
pta , & nihil esse ostendantur . Vide pag. 23. Atque id  
fit feliciter ex tribus Manuscriptis Bibliothecæ San-  
germanensis , quibus D. Kennicott Parisiis usus est , va-  
riis

riis lectionibus vel nullius momenti, vel quæ manifesta sphalmata sunt, certe istorum judicio: nam harum una i. Reg. XVIII, 4. fine ulla dubitatione correctio est, quam Vulgata Latina, & ipse Hebraicus textus v.13. confirmant.

Eadem utuntur methodo in collatione MS. Cantabrigiensis N.68, quæ tota occultis quibusdam callibus cum illis communicata est. Affirmant autem pag. 29, & 31. continere ad rationes Kenni cotti diversitatem 1200; sed, ut ipsi opinantur, 330. additiones, 630. omissiones, 300. lituras, &c, totum autem vix 4500, ceteras variantium propriæ dictarum loco nequaquam habendas esse. Sed inter illas, quæ variantium nomine dignæ ipsis videntur, non audent affirmare, nullas gravioris momenti reperiri.

Tota ratio eo redit, ut conficiant, maximam partem diversitatum Codicum Manuscriptorum nihil esse, ac meros librariorum errores, ex quibus vel nullum exculpas sensum, vel eundem, atque hodierni Textus impressi, nec tertiam harum partem aestimandam esse veras diversitates; quocirca absurdum esse, operam perdere, & imponi Publico his omnibus diversitatibus colligendis propter paucas superstites, quas diversitates & ipsi appellant, nec inficiari possunt, usui esse posse corrigendo Textui, quem in mendo locis quibusdam cubare non negant pagina 2.

Hi quidem boni Patres plane ignorare videntur utilitatem conferendi antiquos Manuscriptos, nec scire, qualis esse debeat collatio MS. antiqui, usui cuidam, vel fini profutura. Sumere enim videntur MS., nisi vi-

vitiis careat, adhiberi ad errores textus impressi corr  
gendos non posse; aut certe MS, ut usui sit, universe  
æque correctum esse debere, atque textus ipse impres  
sus. Vide quam singulari modo Kennicottum in are  
nam descendere jubent, quaque animi confidentia ad di  
micandum se componunt. Loquuntur numero singu  
lari, ut Chorus in Tragoedia antiqua; sed fortasse Ab  
bas ex-professor intelligendus est, qui in titulo splen  
det, ut Coryphaeus Societatis. Sed perpende his, quan  
ta verborum pompa certamen indicant pag. 42. „ Jam  
„ autem, Kennicotte, universo terrarum orbe inspectan  
„ te, te provoco; produc tum antiquissimum, tum  
„ optimum horum 400. Manuscriptorum, & si contra  
„ unum errorum Textus impressi non annotatum, vel cor  
„ rectum in margine, vel contra unam probam lectionem  
„ non invenero decem lapsus crassiores, me ipsum jam  
„ nunc omnium hominum mendacissimum, vel impu  
„ dentissimum profiteor. Hanc conditionem crine supra  
„ caput meum suspendo; absconde si animus est „. A  
non animadvertisse videtur, nulla mora Kennicottum  
animum suum sedaturum esse, concessurumque quodcum  
que concupiverit. Fortasse etiam magno beneficio Ken  
nicottus adversario suo obligabitur, si conditionibus  
ab eo propositis, seu potius quas comminatus est, fte  
terit: nam credo antiquissimus, & optimus suorum MSS.  
magis, quam necesse est, respondebit exspectationi fla  
grantissimæ, si hæc servanda sit proportio, ut decem  
erroribus, proba una varietas opponatur.

D. Kennicott optime meminit, suane manu in  
MSS. San-germanensisibus annotaverit, quam ætatem il  
lis

Nis tribuendam putaret, nec ne . Taxant eum hoc nomine adversarii pag. 14., & quod sibi tantum doctrinæ, & auctoritatis, quod non decebat, arrogaverit. Sed narratum mihi est , rem ita se habuisse . Cum Kennicotum plures Bibliothecarum Parisiencium custodes rogas- sent, ut suam de ætate MSS. sententiam proferret, mo- rem ipsis gescit, sed judicium suum separatae cuidam schedæ commisit , numquam MSS. ipsis inferuit ; qui- bus fortasse charta hæc deinde affixa fuerit .

Sed illud lepidum, quod victoriam se retulisse arbitruntur, detecto, ut sibi persuadent, errore, cuius Kennicottum ad hunc locum arguunt. Error, quem dico, in eo est, quod unum trium MSS. San-germanensem centum annis antiquiorem ceteris affirmaverit ; tum fallere Kennicottum ajunt, idque ex eo, quod Abbas ille contra opinatus est. *Vide Lettor*, inquiunt pag. 16. *vide specimen arbitrariae methodi*, qua Kennicott MSS. ætatem tribuit. Nam non opinor tantam inter Scriptu- ram Seculi XII, & XIII. interesse differentiam, ut centum annos minus MS. Num. 2. affinges, quam Num. 1. Quod ad notam anni Num. 3. horum MSS. attinet, quæ mul- tis facete dictis occasionem præbuit pag. 20. sufficeret Kennicotto annotare חמשת אלפִים וששים diligentem Societatem vertisse 5063, cumque facetiarum gratia eum- dem numerum ex alio loco in hoc MS. transcripsissent, ingenue fateri, litteram ☚ jocis suis necessariam pri- mitus non fuisse ☚, 60, sed ☚, 300.

Jam sese referunt pag. 20. ad duos MSS, alterum Sa- maritanum, alterum Hebraicum Bibliothecæ S. Genove- se . Ac primo novem versus describunt, qui suo judi- cia

cio παρομιώτα continent in hoc MS. Samaritano . Sed duæ harum lectionum , quæ erratorum nomine veniunt , veræ , ac genuinæ mihi videntur ; scilicet Gen.VII, 3. הַשְׁמִים הַתּוֹר , quam confirmat Græca & Syriaca interpretatio , atque Ex.XX, 10. לא תַעֲשֵׂה כֵּן probata iisdem versionibus æque ac Vulgatae ; eadem auctoritates ad Deut.V , versu 14. recurrent ; non versu 9, ut in libello pag.22.

Pag.24. MS. Cantabrigensem Num.68. magna ostentatione inducunt . Id autem cum faciunt , quiddam magni momenti , et si ab illis minime provisum , efficitur . Nam cum hunc MS. sexcentorum annorum antiquum habere videantur , & tamen erroribus refertum , concedere debent , MSS. antiquos valde differre , ex quo consequens est , æquum esse examinare , num noster Textus impressus ex optimis horum MSS. adeo inter se dissidentium derivatus fuerit . Una lectio in sphalmata hujus MS. relata pag. 26. valde præstans est ; nempe Josh.V , 14, ubi pro לא non MS. legit יְהָיֵה ei . Confer Versiones Græcam , & Latinam , & vide contextum .

Auctores nostri pag. 33. ad 36. acerrime castigant Pentateuchum Samaritanum , ut inde evincant , stultum esse , hunc vel minima cura dignum putare . Sed gravius argumentum utilitatis conferendi MSS. Samaritanos præberi non potuit : quæ quidem collatio magna pars est operis Kennicottiani . Nam si Pentateuchus Samaritanus , ut hactenus impressus est , immannibus erroribus scatet , qui errores revera in quanti- vis pretiis MS. Moriniano insunt , id fidem & existimationem aliis MSS. Samaritanis auget , quod illos emen- dent ;

dent; persuasumque mihi est, hanc insignem utilitatem ex septem MSS. Samaritanis, qui in Anglia servantur perceptum iri, a quibus, ut narratum mihi est, viginti sex ex 49. exemplis, quæ illi afferunt, & magnarum corruptionum loco habent, corriguntur. Sed ut ne plura dicam, fecit quidem inconsiderate, præcipitanterque Societas hæc, minusque honori suo prospexit. וְיַעֲשֵׂה Gen. XXII, 16. viva est, quo Summi Pontifices ipsam cumularunt, dum adeo parum auctoritati Versionis Vulgatae consuit, ut lectiones improbaverit bonas cum per se, tum Authenticæ Versioni probatas, cujusmodi sunt וְיַעֲשֵׂה Gen. X, 2. מִתְשָׁרֶב Gen. XXII, 16. ubi nulla apparet ratio, quamobrem hoc ultimum verbum rejiciatur, nisi quod a Vulgata confirmatur.

Multis in locis magnam ingenii, magnam judicii vim auctores hujus libelli præ se ferunt; sed in primis admiranda eorum constantia est, facultasque penitus quidquid attingunt complectendi. Primo pag. 4. magnis laudibus Judæos efferrunt, quod ita animati sint, ita institutione comparati, ut ne unam quidem litteram ulla umquam de caussa in Bibliis immutare ausint. At pagina proxime sequenti iidem audiunt perquam dexteri in MSS. fumo oblinendis, quæstusque ex qualibet re percipiendi avidissimi, quique alias totis Bibliis MSS. in fraudem inducunt, ac pag. 37. lege teneri Judæos, ut imponant Christianis.

Multus esse possèm in absurdâ eorum expostulatione pag. 40, quod D. Kennicott in prima Dissertatione non ex Hooghtiana Editione textum allegaverit, sex ipfis

ipfis, credo, annis antequam aliquod impressum exemplar fundamenti loco poneret. Sed satis erit, unam adhuc rem valde illam quidem observatu dignam in secunda Epistola adnotare. Critici nostri dum afferunt, veritati ipfi, ut videntur, contradicentes pag. 37. a Kennicotto hos MSS. haberi optimos, & antiquissimos, qui Maforethicis animalibus in margine instructi sunt, loquuntur de duobus MSS. pag. 39., qui his figuris marginalibus carent, quique a Kennicotto in prima Dissertatione tamquam antiquissimi tum fibi visi descripti erant. Prior horum MSS., ut fertur, continet tantum Pentateuchum; alter reliquam partem Veteris Testamenti, sed Pentateuchi ne paginam quidem. Nihilominus nostri homines diligentia, & judicio præstantes nominatim laudant hunc alterum MS., cui Kennicottus dederat *en si grand eloge* loco quodam Geneseos; cum contra Geneseos liber ab hoc MS. absit, & locus clare in Dissertatione Kennicottiana sumatur ex MS., qui nulla laude exornatur. Quid quod, dum ingeniosi apparere volunt, poenas conatus hujusce luunt? nam Kennicotto viam sternunt optimo jure retorquendi accusationem incuriae, & oscitationis iis ipsis suis verbis conceptam: *Je les présente seulement pour montrer votre peu d'exactitude.* C'est cependant une des qualités qui Vous est le plus nécessaire pour Votre travail, & dont il ne parait pas que Vous fassiez grand cas. pag. 41.

In tertia Epistola hanc Kennicotto gratiam refert, ut illum indolem, proprietates, & regulas linguae Hebraicæ doceant. Hæc quidem tota præceptio, ejusque singulæ partes ex Proæmio Nova Versionis Psalmorum decer-

Excerptæ sunt. Sed quæ de hac ipsorum operis parte dici possent, jam pridem P. Houbigantius occupavit.  
 Quum enim operi in Psalmos hæc verba ipsi præfixis  
 vident Non nova, sed nove, Houbigantius observavit in  
 Examine pag. 150. opus eorum, cum nihil novi dicere  
 ipsi vellent, tamen totum quantum quantum est novi-  
 tatem esse. Novitatum autem septem capita fecit: „ quo-  
 rum unum, inquit pag. 152, est pars Grammatica Ob-  
 servationum præliminarium, ubi regulas proponunt  
 ignotas omnibus Grammaticis, & quod adhuc flagi-  
 tiosius, propriis interpretationibus nixas, iisque ipsis,  
 quas ex regulis probare voluerunt, quamquam regu-  
 lae ipsæ inventæ fuerunt, ut auctoritas his interpre-  
 tationibus conciliaretur; regulæ, & interpretationes  
 notissimis legibus Syntaxeos adversantur, & naturæ  
 linguae Sanctæ „.

Initium quartæ epistolæ nihil memorabile habet, si  
 ad quasdam depravationes excipias, tum quiddam præterea  
 novum, nam in novitatibus procœmii frustra hoc quæ-  
 ras: nimirum Kerioth, vel marginales notas Masoretha-  
 rum non semper correctiones textus habendas esse, sed  
 ex quatuor tres innuere Hebraismum, illumque expli-  
 care pag. 78. „ Si exempli cauſā textus loquens de plu-  
 ribus habet ILLE dixit, & marginalis annotatio le-  
 re gere jubet ILLI dixerunt, putasne illud dici, corrige  
 textum, qui corruptus est? minime gentium; sed mo-  
 neris ut cautus sis, ne prave locum accipias, vel ut  
 vertas, quasi esset ILLI dixerunt. Hebraicus sermo  
 Hebraismis suis exui debet, qui alia lingua exprimen-  
 di sunt, quantum quidem indeoles, & constructio hu-  
 jus

## ( XVII. )

„ j̄us linguæ patitur . Sed hoc casu fatentur opus esse  
 „ reconditiōe linguæ intelligentia , cautaque applica-  
 „ tione ad ejus principia , ut internoscatur , utrum mar-  
 „ ginalis nota errorem , an Hebraisum indicet .

Reliqua pars Epistolæ in excutienda Kennicotti ex-  
 plicatione Deut. XXXIII, 2. 3. occupatur æque ac major  
 pars quintæ , quæ tota est in disputatione super ~~אֶתְנָפַךְ~~  
 posterioris Jod in **חֲסִידִין** Psal. XVI. 10. Sed quicumque  
 harum disquisitionum successus futurus sit , certe nihil hoc  
 ad quæstionem de statu hodierno textus Hebraici im-  
 pressi , & utilitate conferendi MSS , quam nec tangunt ,  
 nec profligant . Tamen illud hoc loco observatione di-  
 gnum est , si hoc carmen a librariis aliqua sui parte  
 deturpatum est , consequens esse , ut necessitatem inde  
 eliciamus MSS. inspiciendi . Ac si hoc verbum Psal-  
 morum singulatim , & citra omnem nexum acceptum  
 pluralis numeri est , nulla masorethica annotatio satis  
 erit , ut per singularem reddatur , nisi in eo numero  
 inventum fuerit in textu MSS ; quod quum factum  
 est , auctoritatem habet ope MSS , non marginis im-  
 pressi . Quumque assertum fuerit , fere omnes , & opti-  
 mos quoque hoc verbum in singulari repræsentare ,  
 sane facit id ad probandam utilitatem conferendi MSS.  
**Hebraicos** . Breviter : certo tenendum est , hominem  
 vel maxime falsis præjudiciis occupatum cogi , ut ne-  
 cessitatem ejuscemodi operis agnoscat , si modo conce-  
 dit , reperi multos MSS. **Hebraicos** , in quibus multæ  
 diversitates insunt , quæ numquam antea collectæ fue-  
 runt ; in primis si det ( nec dare non potest ) , in ipsis

## ( XVIII. )

Editionibus impressis inventa esse discrimina multa,  
eademque non levis ponderis.

Ad finem hujus quintæ Epistolæ confilia, & monita ad Kennicottum adjuncta sunt de dotibus collatoris, & iis, quæ a proba Editione Bibliorum Hebraicorum cum variis lectionibus expetuntur. Non equidem dubito, quin D. Kennicott se auctoribus obstrictum esse sentiat pro his admonitionibus ; in primis quod certiorum eum faciant, quid ab illo in nova sua Editione exspectent, quodque ut faciat conceptis verbis illum obtestantur nomine totius cœtus Christiani, videlicet „ I. numeros ut Manuscriptorum citet, II. ut Bibliothecas indicet, in quibus delitescunt „ .

Adhuc alterius cujusdam annotationis ad quintam Epistolam in mentem venit. Scire avert pagina 115 quo pacto MS., quicumque sit, collatione dignus necne, Kennicotto videatur ? Quam hæc interrogatio homines deceat, qui Kennicotti institutum, & progressus in illo ex eo noscere deberent, quod de opere pluribus annis continuis in lucem ediderit, ipsi viderint. Quum autem contra opus prius scripsisse videantur, quam mentem, & scopum ipsius perspexerint, satisfaciet eorum curiositatì sequens responso : Kennicottus certissime neverat (& quivis alias, modo ratione utatur nosse debet), si omnes MSS. Europæi conferri pro opere suo potuissent, futurum, ut tanta operi perfectio accederet, quantam hi Manuscripti dare possent. Hoc autem quum fieri non posse intelligeret, suscepit quod potuit, promisitque collationem omnium MSS. in patria ; ita ut

ut boni malique , antiquiores recentioresque omnes con-  
ferrentur , iis duntaxat exceptis , qui manifesto post  
inventam artem typographicam conscripti erant . Quum  
autem hoc opus collationis , quod absolvit , ut propo-  
suerat , decem annis in *patria* urgeretur , ex regionibus  
*exteris* adquisivit tot Hebraicorum MSS. collationes ,  
quot temporis , & sumptuum ratio patiebatur . Ut au-  
tem novus ad operis sui absolutionem cumulus acce-  
deret ab usu , & collatione MSS. exterorum cum cura  
inspectorum in præcipuis , maximique momenti locis ,  
ubi justa diversitatum suspicio esse potest , misse vide-  
tur *Paulum Jacobum Bruns Lubecensem* huic negotio per-  
quam idoneum , ut perpenderet *quemcumque Codicem*  
Hebraicum nactus esset in primis , & magnis Europæ ur-  
bibus . Qui quidem vir nunc in Italia est , & ut pro-  
be novi , prosequuntur eum ibi eodem candido favore ,  
facultatemque dant MSS. pervolutandi eamdem , quæ an-  
tea ipso in Francia , parte Germaniæ , & Helvetia beni-  
gne data fuerat . Ex hac rerum enarratione ab omni  
partium studio aliena patet , Kennicottum ab arbitra-  
riis , & procacibus regulis , hunc , vel illum MS. tamquam  
collatione dignum feligendi remotissimum esse . Alii  
autem quum ad unum omnes Doctoris accurationem ,  
& diligentiam commendent , amici sui , qui in vico  
S. Honorati commorantur , non magis illum impro-  
bant , quam delegatum Brunsium . Nam nec laboribus  
hujus vere docti viri , nec tot sumptibus , qui oppido ad  
hanc rem necessarii sunt , impediri potest , quo minus  
alter , quod hoc negotium demandaverit , alter quod

demandatum in se suscepere, risu & cachinnis excipiatur pagina 129, &c. At minime admirandum est, vel Brunsiūm, vel collatorem nostrum ab harum Epistolarum scriptoribus contemptui haberi, & contumeliose tractari, quum non destiterint imitantes in hoc scriptorem nuperum ejusdem gentis (vide D' Anquetil Perron *Introduction à Zend-Avesta circa finem*), quin labem aspergerent doctrinæ Professoris Regii in lingua Hebraica Oxonii, cuius quidem peritiæ Hebraicæ pariter, ac aliarum linguarum Orientalium, & zelo communicandi earum cognitionem Eruditi multo plus debent (bona ventia horum Capuccinorum dicatur), quam totis quatuor & decem Voluminibus *Principes discutēs* una cum Psalmorum Versione nova.

In Conclusione pag. 118. auctores sumunt, tamquam rem plane ab se demonstratam, Opus Kennicottianum esse I. inutile, II. leve, III. pericolosum. Ad tertium hunc locum quod attinet, describuntur ab illicis Philosophi, quemadmodum se ipsi dicunt, hoc est Materialistæ, & Athei, qui magno ubique numero Christianum orbem infestant, & fatendum est, pulchre resteque ab illis repræsentari. „Nosti, addunt pag. 122. unam præcipuarum objectionum, quas contra Religionem Christianam proferunt, esse obscuritatem Sacrarum Litterarum. Quantopere hi infideles triumphabunt, si a Te didicerint, originem interpretationum corruptam esse. Scutum fabricaris Infidelitati, quod acutissimis telis rationis, fidei, & religionis opponet „.

Con-

Considerare debuissent Auctores nostri , nimium  
jam temporis processisse , quam ut obtrudi nobis pa-  
tiamur antiquum Aphorismum : *Corruptio Fontium via  
strata est ad Atheismum* ( Vid. Noldium in Annot. ad Con-  
cord. pag. 847. ) Plus centum , & viginti anni elapsi  
sunt , quum Ludovicus Capellus comparandis antiquis  
versionibus cum textu Hebraico non multum abfuit ,  
quoniam demonstraret , Hebraicum non magis ab erroribus  
liberum esse , quam ceteros omnes libros , inter alios ,  
quod omnes assentientur , Novum Testamentum ; qui  
libri depravationibus obnoxii fuerunt , quas incuria  
ignorantia , & errandi facilitas librariorum fudit , enu-  
meravitque magnum errorum numerum , quo multis  
viris doctis ætatis suæ satisfecit . Quod ejus demonstra-  
tioni deerat , nostris temporibus cumulate suppletum est  
examinandis pluribus MSS. Hodiernum Hebraicum tex-  
tum laborare non-integritate ( abstineo a verbo corru-  
ptionis , quæ animum , & fraudem olet ) , est res facti , ma-  
nibus palpanda , demonstrata , nec negari potest . Cave-  
re hi homines deberent , ne infideles fortissimis armis  
instruerent rem concedentes , quæ tantopere eorum cau-  
ſæ favet , fatentesque imperfectionem in Textibus Orig-  
inalibus Sacrarum Litterarum validum argumentum es-  
se contra veritatem religionis Christianæ ; deinde pro-  
bam , legitimamque conclusionem agnoscentes , quum  
præmissæ nullo modo destrui queant .

Sed quam proni sint ad aliorum sententias depra-  
vandas , invertendasque , accipe duplex specimen . Af-  
firmant pag. 118 , D. Kennicott *concessisse* , errores , quos in

textu deprehendere sibi visus est , non inveniri in locis , qui proxime ad *Fidem* , & *Mores* affecti sunt . Hoccine verum est ? Si verum ; profecto non exaggerandi hiderores ab eo in suis libris tamquam magni momenti es-  
sent . Sed nonne Kennicottus falso arguitur hujus dicti ? nonne pudere ejus rei accusatores ejus deberet ? Accusatio non solum falsa est , sed persuasum mihi est , falsam esse ipsose nosse . Nam pag . 100 , ubi recte Kennicotti verba citant , quamquam quod inde efficere student , frustra student , allegant *Dissert. I.* pag . 11 . At hic in conclusione , ubi validissime res aliorum menti inculcanda erat , omnem paginæ citationem caute declinant , omittentes omnino particulam restrictivam , qua omissa , locus a vero sensu aberrat : *Sont principalement dans des passages qui ne sont pas immédiatement relatifs à la foi , ou pratique .* Hoc loco ut aliqua ipsis violatae fidei poena decernatur , velim Moderatores sui eos juberent bis quotidie sequenti anno repetere Epistolam Pontificis Clementis XIII. suis Psalmis præfixam , in qua hujusmodi admonitiones habentur : *Illud præcipuum præ oculis semper habeatis oportet , ut VULGATAM VERSIONEM &c. affidua manu versetis .... Et cum quisque cognoverit , finem præcepti esse caritatem , de corde puro , & conscientia bona , & fide non ficta ; omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relatus , ad tractationem Librorum illorum securus accedat .*

Alterum specimen exstat pag . 128 . *Il faut que je fasse part au Public d'une petite anecdote , qui merite son attention . En quod oportere publice exponi tamquam obser-*

servatione dignum putant. Kennicottum, ajunt, dum Pa-  
 risis esset, numerasse 28. MSS. perlustratos a se in Biblio-  
 theca Sorbonica; in quibus erant tres Num. 25, 28, & 254.  
 scripti charactere Rabbinico; cuius quidem characteris, in-  
 quiunt, Kennicottus ne unum quidem verbum legere pot-  
 est; addunt eodem tempore illum rejecisse MS. Num. 20.  
 eodem charactere exaratum. Post hæc querunt ad hunc  
 modum: *Dicat mibi, quare improbet miserum MS. Nu-*  
*meri 20? &c.* Homines hi Rabbinici docere nos debui-  
 sent, qui scire certissime potuerint (nam, ut videntur,  
 Kenicotti consuetudine numquam usi sunt), illum ne  
 verbum quidem in his 4. MSS. legere potuisse, & quo  
 fundamento nixi dicant, illum præteriisse MS. vicefi-  
 mum? Fateor me, quum de hac re mecum cogitarem,  
 suspicatum fuisse, an non insultandi illum pruritum,  
 quem præ se paragrapho præcedenti ferunt, novum  
 aliud mendacium sequeretur, potiusque apud me pu-  
 tavi Num. 20. non fuisse rejectum. Quum enim impref-  
 sam relationem 1767. in manus sumpsisem, inveni Ken-  
 nicottum Sorbonæ 29. Manuscriptos assignasse, quum  
 illi 28. habeant. Qua de re, ut certior adhuc fie-  
 rem, misi qui meo nomine Kennicottum interrogaret,  
 qui statim amico illi meo Excerpta sua, quæ Parisis  
 confecerat, ostendit, eademque iisdem omnino chartis,  
 in quas ibi conjecterat. Atque in his chartis post Nu-  
 mer. 19. sequitur statim Num. 20. descriptus a forma  
 ætate, & charactere Rabbinico una cum 44. Variis Le-  
 ctionibus, quas Kennicottus sua manu ex hoc MS. ex-  
 cerpsit, quem MS. tantum abest, ut improbet & rejic-  
 cit,

ciat, ut potius tamquam paulo majoris auctoritatis laudet; & quod ad Num. 25, 28, & 254. attinet, hi in chartis Kennicotti adducti sunt suo ordine cum Variis Electionibus, quas inde decerpserat, præcipue e postremo: quamquam si hos homines auscultes candidos, & veraces, ne verbum quidem legere potest in alterutro.

Sed Critici isti nostri, qui tam proni sunt ad detrahendum aliorum peritiæ, & studiis, vide quam de se ipsis aliter judicent. Ubi cumque igitur de ingenio peculiari linguae Hebraicæ loquuntur, intelligendum est, cognitionem hujus arcani limitibus reverendæ fraternitatis definiri, & fortasse viris illis *Adeptis* Societas Clementinæ. Ita suam sententiam declarant pag. 42.  
 „ Hebraica lingua non est talis, qualis *Hebraistis vulgaribus* videtur „ pag. 85. „ Concedo hoc non satis clarum iis, qui sese ad studium indolis Hebraicæ linguae minime applicuerunt; sed qui possident illam, & cognitione prædicti sunt styli prophetici, facile has obscuritates superant „ pag. 10. „ P. Houbigant, cum in Opere suo ( Editione Bibliorum Hebraicorum ) neque in usum converterit, neque ut necesse erat lingua Hebraicam adhibuerit, nullamque aliam correctionum suarum probationem dederit, quam opinio nem suam, genuinus *Hebraista* facile cognovit, opus leve esse „ . Quod ad Kennicottum attinet, ille est ex numero vulgarium Hebraistarum, nec sese Houbigantio doctiorem præbet.

Atque hæc quidem præcipua ferè capita sunt ludi libelli, quæ non videbantur silentio prætermittenda.

tenda . Post scriptum continet vel cavillationes , vel res  
nihili floccique pendendas . Ad certas fabellas quod at-  
tinet , quas auctores avide arripuerunt de conditioni-  
bus , & peritia eorum , quibus Kennicottus Oxonii usus  
est , nemo dicere potest , quæ ipfis fides habenda sit ,  
his solis exceptis , quibus Kennicottus , ejusque adjuto-  
res aliquantulum nòti sunt . Et multo minus de veri-  
tate , vel verisimilitudine harum rerum , quas de illis  
acceperunt , judicare potuerunt . Sed quum me adie-  
ris quippe aptum Tibi visum , ut certiora hac de re  
perscriberem , indagavi , & auctoritate munitus affirmare  
possum , Kennicottum credidisse , quum Hebraica volu-  
mina collata fint comparando Textum impressum cum  
MSS , non *verbatim* , sed *litteratim* , atque adhuc crede-  
re , quoſdam hujus rei satis idoneos effe , qui legere no-  
rint , etſi linguam non calleant ; immo vero multis  
etiam partibus magis idoneos hujus linguae peritis . Pe-  
riti enim ſæpenumero , quod fere fit in his casibus , mul-  
tas litteras pro scriptis sumere poſſunt , quum alias  
quælibet littera majore cura ab iis conſiderari ſolita fit ,  
quorum cognitio peritiam legendi non excedit .

Si igitur ex tot , qui in hoc opus adhibiti ſunt ,  
pauci extiterunt deterioris notæ , ſciendum , inde nul-  
lum in collationes derivatum vitium fuifſe , niſi probe-  
tur ineptos eos fuifſe in iis , quæ ad conſerendum opus  
erant . Tantum adjiciam , ſi unus ex his olim nauta  
fuit , ut perlatum ad Ex-profefſorem &c . pag . 114 , pro-  
be ſcio , adhuc alium fuifſe , quo Kennicottus utebatur .  
qui ſtipendium meruit in exercitu peregrino , & de quo

audie-

## ( X X V I . )

Auctores Epistolarum ne hilum quidem. Quid nunc illo factum sit , hi auctores , credo , optime norunt ; sed si meæ narrationi fidendum est , fortasse nescirent , quid illo fieret , si ejus historia civibus innotesceret . Vale .



PAVL.

( XXVII. )


PAVLII IACOBI BRVNS

L V B E C E N S I S

A D V. C.

BENIAMINVM KENNICOTT

E P I S T O L A .



P. I. BRVNS B. KENNICOTT S.P.D.



ITTO ad Te , Eruditissime, ac Præstantissime Kennicott , Litteras ad Amicum de libello Gallico ante hos non multos menses contra Te , opusque Tuum edito Latine a me conversas; quod dum facio , non possum mihi non vehementer gaudere , Tibi autem cum bonis omnibus de egregio , quem natus es , defensore gratulari . Etsi enim in eo libello litterati viri doctrinam , pro bi æquitatem , Galli ipsi propriam gentis suæ humanitatem , animique candorem desiderent , nihilque propemodum præter convicia , nigræque , ut ait ille , succum loliginis , quod magnopere lectio[n]e dignum fit , afferat ; tamen optimam cauffam in hac Epistola etiam optime defendi , cum omnes majorem in modum gaudemus , tum ego maxime lætitia gestio . Quid enim vel contra univer-

fum

## ( X X V I I I . )

sum genus manu exaratorum Hebraicorum librorum, vel contra quosdam nominatim, quorum fidem elevandam sibi sumpsit, Adversarius effutivit, cui in hac epistola non probe satisfactum est? Quid is ad operam Tuam abjiciendam, quo non illa commendetur? Quid ad ejus inanitatem futilitatemque, si Superis placet, convincendam, quo non ejusdem necessitas, ac præstantia comprobetur? Quid ad Te exagitandum, quo Tibi non fama & honor conficiatur? Quid ad labem aliis doctis viris aspergendarum (\*), quo non totum hoc in adversarii caput derivetur? Quare jucundum mihi erat, tam festivum, tam doctum opusculum in latinum sermonem convertere; idque cum hac, quam innui

(\*) Anonymus enim nequaquam in unius Kennicotti insectatione stomachum, & acerbitatem disceptationis suæ continuuit, sed omnes qui cumque in Anglia sunt, fama, factisque claros ac nobilitatos viros in hunc modum incessit pag. 117. *Hellas! je n'en desirerois dans le nombre qu'un seul qui fût cette langue à fond, & qui d'un esprit impartial lût attentivement vos deux Dissertations, il dessilleroit bientot les yeux à tous vos Soucripteurs.* i. e. Ex numero ( Subscriptorum, quos paullo ante maxime illustres Anglici regni non negaverat ) vel unum mihi optarem, qui *Hebraicam linguam funditus calleat, animoque nullis partium studiis prædicto utramque tuam Dissertationem*

*cum cura perlegevet. Statim is enim oculos omnium, qui in editionem operis tui nome n suum professi sunt, aperiret. Possem, nisi haec maledicta ab omnibus contemni intelligerem, ex indice subscriptorum non paucos excerpere, qui in Hebraicæ lingue cognitione cum apud suos clari sunt, tum exteris minime ignoti, aliosque illis doctos viros adjungere ( quorum confuetudine, quod in magna felicitatis meæ parte repono, in Anglia usus sum, quoque in Hebraicis litteris non vulgariter verfasos esse, aut unus Anonymus, aut nemo profecto mortalium negaverit ), in primis autem Thomam Hunt, Regium linguæ Hebraicæ Professorem Oxoniensem laudare, in quem Anonymus toties procacis, ac truculentæ orationis*

innui caussa, tum quod videbam, mea opera in his regionibus, ubi tot tantique viri jam inde ab initio operi Tuo plauerunt, nec aliter sentire modo pergunt, lectum iri. Quod de me in eo tam prolixe ingeniosissimus, quicumque is fuit, auctor senserit, id nulli meo, quod video quam sit exiguum, merito debo, sed testimonio Tuo, quo me & publice, & privatim saepius ornavi, quo uno fortasse nixus ea ille scripsit, quæ mihi non minimum inter legendum ruboris asperserunt, illud maxime mecum reputanti futurum, ut numquam satis gratus in Te, & amicum Tuum esse, nec testimonio vestro, atque exspectationi hominum respondere possim. Sed utcumque casura res sit, mirificum.

ce

nis suæ pus, & venenum effundit, exemplo tum stoliditatis vix credibilis, tum rusticitatis non ferenda, planaque inaudita; quem quidem nullo modo egregia tanti viri eruditio, non humanitas, non comitas, non cani ac senectus ipsa prohibere potuerunt, quo misus cavillis, & disteris quaqua oblata, quaqua arrepta occasione immanem in modum infestaretur. Sed ex omnibus unus tantum nominetur præstantissimus, idemque supra quam dici, ac prædicari a quo quam possit, doctissimus, & humanissimus Episcopus Oxoniensis Robertus Lovvith. Is enim unus, ut Ciceroni Plato, omnibus pro centum milibus esse potest, ejusque Liber de Sacra Hebraeorum Poesi, qui jam diu in doctorum manibus, atque ore versatur, sexcentorum commenta-

riorum, animadversionum, observationum, & hujus generis librorum loco esse, & haberi potest. Ac mitto interim plane ad mirandam poetici artificii ex interioribus, ac reconditis Græcorum, & Latinorum litteris haustam cognitionem, quam toto operare præ se fert, mitto nulla soluta, nulla ligata orationis pigmenta esse, nullum florem, nullum lumen, quod vir pene Gratiarum manibus factus desiderari in eo passus sit; quod etsi ad Anonymum refellendum non facit; tamen ad id valebit, ut lectores Hebraicarum litterarum minus periti alterum ex altero estiment, eumque tantum meo periculo in iis esse apud se statuant, quantum in ceteris per se ipsi, ejus inspecto volumine, deprehendent.

Ne stimulos additis jam proprio studio currenti , & si  
 umquam certe nunc desiderio maximo flagranti vires  
 meas quantascumque in opus Tuum experiundi , ne  
 tanti viri amicitia indignus habear . Quod si aliquo mo-  
 do timendum esset , ne in ea , quam na<sup>c</sup>tus essem , spara-  
 ta exornanda indormirem , Romæ quidem , in qua ur-  
 be nunc versor , minime omnium timendum est , ubi tot,  
 tantique thesauri vel desidiosissimum ad laborem impel-  
 lerent , monumentaque omnis generis eruditionis tum  
 servata sunt , tum humanissime monstrantur , & cum ex-  
 teris communicantur , ut vix definire possis , majorem  
 ne ob eorum præstantiam , dignitatem que ex iis fructum ,  
 an ab custodum humanitate , comitateque voluptatem  
 capias . Auctor Epistolæ ad Amicum cum alias res ad  
 opus Tuum spectantes probe edoctus , tum etiam de  
 me , meisque itineribus , ut adeunti Bibliothecæ pateant ,  
 ut earum libros quo<sup>c</sup>cumque velim evolvendi facultas  
 sit , verissima scribit . Sed narro Tibi : non modo , quod  
 ha<sup>c</sup>tenus factum est , Tibi abunde quæcumque adju-  
 menta ex Bibliothecis Romanis suppeditantur ; sed etiam  
 opus Tuum ipsum , quod litteratissimis viris ubique  
 terrarum probatur , magno favore Romæ excipitur .  
 Nota sunt Emin entissimorum Virorum , & Purpuratorum  
 judicia (\*) , notæ approbationes , faustaque omina Eru-  
 ditorum . Nam cum primum institutum tuum hic inno-  
 tuit , tot fere assensores , suasoresque na<sup>c</sup>tum est , quot

(\*) Vid. pag. 21. 47. 60. 88. in „ Collation of Hebrew MSS. by Ben-  
 „ The ten annual Accounts of The „ jamin Kennicott . Oxford 1770.8.

## ( XXXI. )

de eo fando audiverunt (\*); cumque vir doctissimus Johannes Antonius Costanzi, cui conferendorum Romæ codicu[m] negotium datum erat, operi sese accingeret, plures, atque eas quidem magni momenti variantes lectiones in codicibus statim invenit (\*\*); quas variantes cum Viri Cl.Cl., ac Celeberrimi Affemannii, decora illa non tam Orientis, quam totius orbis litterati perlungassent, Lectiones Codicum Vaticanorum valde utiles esse studiofis rerum Biblicalarum judicarunt (\*\*\*) . Sed quod novissime de eo prolatum est judicium, pace Tua hic Tibi exponam. In Ephemeridibus Litterariis, quæ hoc anno Romæ edi coeptæ sunt Num. V, pag. 34, & seq. libellus Parisinus rece nsetur, brevisque Tui operis historia contexitur, tum hæc subjiciuntur: (\*\*\*\*) Kennicotti opus magnum est, immensum, atque ad hominum famam illustre, meritoque

viro-

(\*) „ L'Entreprise d'une nouvel-  
le Edition de la Bible, qui doit se  
faire à Oxford sur tous les Manu-  
scrits Hebraiques, qui peuvent se  
trouver dans les plus célèbres Bi-  
bliothéques, a trouvée ici autant  
d'approbateurs, que de personnes  
qui en ont entendu parler, . Hæc  
verba leguntur in testimonio signato  
manu Card. Passionei l. c. pag. 47.

(\*\*) „ In codicibus mox laudatis  
plures, atque eas quidem magni  
momenti variantes lectiones me-  
invenisse lætaberis, ex epistola  
Prof. Costanzi ad Kennic. lib. cit.  
pag. 61.

(\*\*\*) „ Quum vero animadvertismus  
variantes lectiones, magno qui-  
dem numero a laudato Constan-

, tio notatas in unoquoque Codice,  
cum Vaticanorum..., quæ quidem  
lectiones quum valde utiles sint  
studiosis rerum Biblicalarum, dignas  
eadem estimamus, quæ locum ha-  
beant in nova adcuratissima Bi-  
bliorum Hebraicorum Editione,  
quam Reipublicæ Christianæ, ac  
Litterariæ bono doct. Vir B. Ken-  
nicott quam pridem se evulgatu-  
rum pollicetur, . Hoc judicium  
collationi in Angliam transmissæ an-  
nexum servatur apud Kennicott.

(\*\*\*\*) „ L'impresa del Sig. Kenni-  
cott è grande, vasta, e luminosa,  
ed ha meritamente incontrato  
l'appoggio, e l'approvazione d'in-  
signi letterati, di gran Signori, e  
di un Sovrano rispettabilissimo, .

Hei, erorum, quā doctrina, qua natalibus illustrium; ac maximi  
 præterea Regis patrocinium, & affensus natum est. Hæc  
 laudatarum Ephemeridum auctores; qui tamen multa,  
 opinor, in argomento Parisini libelli enarrando præter-  
 misissent, nonnulla aliter extulissent, si vel in Differ-  
 entiationes Tuas Anglice scriptas incidissent, cumque iis  
 mendacia Galli scriptoris conferre potuissent, vel hoc,  
 quem modo latine conversum edidi, per exiguo in spe-  
 ciem libello uti potuissent. Nam quamquam auctorem  
 in Te, Tuamque eruditionem, & probitatem proterve  
 invectum reprehendunt, tamen vix credo futurus quis-  
 quam fuisset, qui superiore epistola perfecta, & perpensa  
 auctorem doctum dixisset, vel ejus librum præstantem (\*),  
 animadversionesque ad criticam amissim exactas (\*\*); mul-  
 tis autem hæ auctori tributæ laudes vix cum iis, quæ  
 de te prædicaverunt, contare videbuntur.

Sed juvat quæ in Te minus probarunt, præun-  
 te Anonymo, ex hac eadem epistola diluere, idque  
 non eo consilio, ut cum auctoribus Ephemeridum con-  
 tentionis funem ducam, sed potius ut quam frugis ple-  
 na, quam solidarum responcionum hæc pro Te contra  
 Gallum conviciatorem epistola fœcunda sit, hoc exem-  
 plio offendatur. Ac primo quod dicunt, Te inconsul-  
 te, nullaque certa ratione nixum calamo exaratos li-  
 bros, qui textui recepto inservierunt, mendorum ac-

cusaf-

(\*) „ E ci ralleggeremmo di cuo-  
 , re col doto Anonimo di questo  
 , suo pregevole libretto „.  
 (\*\*) „ Termineremo il presente ar-

„ ticolo osservando .... che le of-  
 , servazioni letterarie dell'Anonimo  
 , son in gran parte giuste , e ben  
 , ragionate „.

## ( XXXIII. )

cusasse (\*): nihil miror, cum nunc demum pateat, Gallum adversarium Tua verba in deteriorem partem interpretatum fuisse, aliamque iis sententiam adfixisse, (vide supra pag. V, VI.), ex quo illi nihil tale suspicantes in errorem inducti sunt. Sed MSS. Parisienses non satis esse, plenosque eos mendorum, plane compertum esse ajunt (\*\*). Esto ut volunt, quod tamen nec ab auctore Parisiensi probatum, nec concedendum ullo modo est, MSS. Parisienses ejus rei testes ab auctore excitatos ad Criticum usum ineptos esse; tamen universæ, quod faciunt, MSS. Parisienses inutiles dici non possent. Quid enim? Quatuor admodum auctor libelli Hebraicos codices, duosque Samaritanos, qui Parisiis servantur, discutiendos, notandosque sibi sumpfit, ceteros securus præterivit, qui tamen centum circiter numero sunt. Anonymus quidem jactat (\*\*\*) , se eos allegasse MSS, qui five antiquitatem, quam præ se ferunt, five locum attendas, quem obtinent, pluris ceteris faciendo sunt. Sed quo fato accidisse dicamus, ut antiquissimos MSS, qui Parisiis sunt, Bibliotheca San-Germanensis, alteraque S. Genovefæ sibi vindicent, careat autem Regia, careat Oratoriensis, careat Sorbonica, ceteraque, quæ tanto numero in ea urbe existunt? Qui fieri potest, ut has duas Bibliothecas, quarum digni-

C tati,

- (\*) „ Nella prima lettera dissen- „ di Parigi sono insufficienti, e pie-  
„ de l'Anonimo i MSS , che han „ ni di errori per colpa de' Copisti.  
„ servito all'edizione del testo Ebreo „ (\*\*\*) „ J'ai sûrement choisi ceux  
„ dalle veramente insufficienti accusa- „ dont vous devez faire le plus de  
„ se del Kennicott „ . „ cas & par leur antiquité & par le  
„ (\*\*\*) „ Gli fa toccar con mano „ séjour, qu'ils habitent . pag. 39.  
„ nella seconda lettera, che i MSS.

## ( XXXIV. )

tati absit, ut aliquid detractum velim, sed quī fieri potest ut ceteris, quæ illic sunt, præstantiores dicamus? At Manuscripti, quorum apud auctorem Galli-  
cum mentio fit, mendorum referti sunt. Indicem sphalmatum non adeo numerosum, iisque, quæ injuria inferuntur demptis, ( vide supra pag. X, atque in fine hujus epistolæ ) ad minorem numerum redigendum,  
*ex* quatuor MSS. Hebraicis contexit ad eorumdem inanitatem, futilitatemque ostendendam. Sed primo scitum illud Ciceronis de Legib. L. III, p. m. 188. *Iniqua est in omni re accusanda, prætermis̄ bonis, malorum enumeratio, vitiorumque selectio.* Anonymus autem nihil affert, quam quod ejus unius judicio codicibus vitio verti debet. Lapsus librariorum, exempla eorum negligentiæ, & oscitantiaæ excerpere voluit, ne unam quidem probam lectionem, ut justa statera bonitas, vel pravitas Codicum examinaretur. Quid, quæso, de homine judicaremus, qui de MS. Alexandrino locuturus ejus tantum vitia, quæ Grabius magno numero in præfationibus, & marginibus Editionis suæ exhibet, in medium proferret? An non injuriosum eum in tantæ vetustatis ~~resuñātor~~ clamaremus? Nec video, quid incommodi consequens fit, si demus, MSS. vitiis undique scatere. Nam si MS. nullius usus & pretii dicendus est, qui vitiis non caret, ne unus quidem MS. probabilis in toto terrarum orbe existat necesse est. Quis enim inficiabitur, ut verbis Millii Prol. in N.T. §. 1336.  
utar, *Exemplaria nostra MSS, etiam præstantissima quæque textum hic illic vitiatum exhibere?* Profecto a nemine umquam, quod sciam, MS. liber ea solum de caussa,  
quod

## ( XXXV. )

quod negligenter scriptus fit , collatione indignus habitus , rejectusque totus est . Quot enim Codices Millius , & Wetsteinius hallucinationum arcessunt , ex quibus tamen multa frugi sese excerpisse non negant ?

Accedit quod in farragine , quam paras , omnium variantium necesse est multa insint scribarum περιπλακατα , eaque plura fortasse , quam in plerisque aliorum librorum collectionibus Lectionum Variarum . Quo enim accuratius liber excutitur , eo plures diliguntur lectiones , in quas non potest non interdum irrepere merum librarii vitium . At tanta Critica ανηβαση Tuum opus conficitur , quanta nullum adhuc publici juris factum est . Si igitur in collectione Variantium , quæ ad Capucinorum manus pervenit , errores deprehendebantur , sane nec bonarum lectionum copia deerat ; sed utraque & bonarum , & malarum Variantium collectio pari studio , & diligentia corrogata . Si enim in catalogo Variarum Lectionum aliis libris adjecto pauciora , vel nulla scribarum crassiora vitia occurrunt , id eo factum est , quod qui lectiones excerpit ea tamquam inutilia , memoratuque indigna prætermiserit , non quod MSS. iis destituebantur . Quotusquisque enim liber ea fide , cura , diligentiaque excussus , & collatus est , qua Hebraici Tui vel a Te ipso , vel Te moderante ab aliis ? Nam vel verba verbis , non litteras litteris contendebant , vel magnam lectionum partem , quod nulli rei ipsas videbatur , prætermittebant ; in quo magis suo judicio uti voluerunt , quam officio fidi editoris , & collatoris satisfacere . Quod enim omnes Tui similes , hoc est vere docti , harumque rerum periti consentiunt , rei litterariae

## ( XXXVI. )

melius consultum fuisset , si primi editores ea fide ,  
 diligentiaque libros expressissent , quam nostris tempo-  
 ribus quidam tam religiose , planeque superstitione fibi  
 adhibendam putarunt . Si enim vel omnes , vel præci-  
 pui Græci textus Codices , iisque in primis , qui cum Ale-  
 xandrino de præstantia certant , ea cura , qua hic a  
 Grabio , editi fuissent ; aut si in insignioribus Veteris ,  
 Novique Foederis Codicibus ea diligentia collocata fuis-  
 set , quæ duobus Romano , & Florentino Virgilii , aliisve  
 haud inutiliter impensa est ; aut si denique Blanchi-  
 nium vel multi anteissent , vel alii mortuum sequeren-  
 tur , res litteraria , & quæ homini vestigia Tua pre-  
 menti maxime curæ esse debet , litteratura sacra ma-  
 gnum ex eo emolumentum cepisset , ac porro caperet .  
 At in editione MS. Alexandrini , aliisque pari studio  
 accuratis plura cernuntur vitia , quam quarum MSS. vel  
 obiter collati , vel eorum menda magnam partem post-  
 habita , ac prætermissa fuerunt . Quis jure igitur mire-  
 tur , si in collectione Variarum lectionum Te auctore , &  
 moderatore comparata multæ occurrant hujus generis  
 diversitates , quum Grabium , omnesque propemodum  
 hujus similes accuratos librorum editores multis para-  
 fangis post te relinquas ?

Cum indicem mendorum ex Codicibus Hebraicis ab  
 Anonymo excerptorum percurrerem , in mentem venit ,  
 jam ante hos viginti annos librariorum lapsus gravio-  
 res , levioresque in Dissertatione Tua prima memoratos  
 esse , eo quidem confilio , ut Codicum Hebraicorum  
 scriptoribus sua etiam sphalmata , suas mendas nihil  
 minus esse intelligeremus , quam Græcis , Latinis , vel  
 cuius-

cujuscumque gentis librariis ; quamobrem falli qui librarios Hebraicos cura , & diligentia longe ceteris antecelluisse sibi persuadent , nec ullius umquam errati reos fuisse . Hæc cum mecum putarem , non videbam , quid sibi adversarius cum totis errorum suorum plaustris vellet , vel quid inde damni conflare in Te , Tuasque rationes posset . Si enim plane compertum est , in antiquissimis Codicibus , tam qui ad Masoram , quam qui ad eam minime exacti sunt , a librariis saepe numero peccatum fuisse , quis scit , ita enim conjiciebas , an multis abhinc saeculis in Codicibus Hebraicis quedam secus legerentur , quæ Masorethica cura delere non potuit , vel quo minus novæ deinceps de pravationes iis accrescerent , impedire ? Sed antiquiores extare codices Hebraici textus , Gallus ille audacter negat . Pagina enim 37 , ubi totius suæ disputationis fundamenta jacit , & auctoritatem Hebraicorum codicum elevat , hæc ponit (\*). I. Contendo maximam partem annotationum , quæ etatem in Codicibus Hebraicis indicant , falsam esse . Quum enim plurima horum exemplaria post inventam artem typographicam Judæi conscriperint , quibus lex est Christianis imponendi , non habitarunt codicibus suis trecentos , quadringentos , quingentos , sexcentos annos tribuere . Hoc quidem Gallicum commentum pag . 5. in fabulæ modum adornatum jam antea in Epistola ( supra pag . VIII . )

(\*) „ Je vous soutiens que la plus grande partie de celles qui s'y trouvent (*dates*) sont fausses . Comme la plupart de ces Copies sont postérieures à l'impression , les Juifs qui les ont fabriquées , & qui se

„ font une loi de tromper les Chrétiens , ne se sont fait aucun scrupule de donner à leur Ouvrage trois , quatre , cinq ou six cens ans d'antiquité .

## ( XXXVIII. )

refutatum est , vixque responsione dignum habitum . Homo enim vecors eo impudentiae processit , ut non solum Tibi contradiceret , quem quotiescumque nominat , omnem honestatis , omnem humanitatis sensum exuisse videtur , sed quotquot umquam Hebraicos libros viderunt , vel de illis quidquam litteris mandarunt . Horum enim virorum scripta per volutanti magnus numerus librorum Hebraicorum , cum nullus typorum esset usus , manu exaratorum praesto erit ; quare Gallus scriptor vel ex libris virorum Le Long , Morin , Simon , Capelli , Bartolocii , Michaelis , Jablonsky , Wolff , Montfaucon , Houbigant , Paffini , Bianchini , Affemannи ve-  
 riora discere debuisset , vel ostendere , hos viros in ju-  
 diciis suis de ætate Hebraicorum codicum errasse . Sed nihil , quod opinioni suæ faveat , nihil quod in speciem probabile sit , affert . Quod enim dicit notas ætatis in Codicibus Hebraicis falsas , & suppositicias esse , id nihil homini patrocinatur . Fieri enim potest , ut vere antiqui Codicis non vera epigraphe antiquiorem adhuc eum , quam re ipsa est , mentiatur : nec continuo tamen codex ille ad musteos , & hodie aut heri confectos amandandus est : velut Evangeliarium Syriacum Bibliothecæ Barberinæ signatum num. 105 . ( specimen characteris vi-  
 de apud Blanchinium in Evangel. P.I. post pag. DLX. ), quod epigraphe sequior codicem Sæc. III. facit , certissi-  
 mis tamen in diciis ad Sæc. VIII. , vel IX. referendum est . Quamquam hujus , qua de disputamus , Ψευδεπιγρα-  
 φία non continuo , quod Anonymus facere videtur , culpam in Judæos conferam . Si quæ enim in codicibus Hebraicis notæ annos mentiuntur , eæ non a librariis

Ju.

Judæis adjectæ sunt , sed a recentioribus codicis venditoribus , vel possessoribus . Quod autem ab illis in libris immutatum , vel perperam additum est , id scriptoribus imputari non debet , aut id ipsum , librarios mentitos fuisse , aliisque imponere voluisse , vel re ipsa imposuisse , probandum erat . Ecquid igitur , si ubique ejusmodi codices prostant , ne unum quidem afferet , de quo certo quidem constet , librarium majorem ipsi , quam qua erat , ætatem tribuisse ? Ecquid honesti librarii poenas luere debent pro notis , quas mercenarii homines asperserunt ? Ecquid illi mendaciorum insimulantur , cum in possessores tota culpa corrupti , atque ad falsam ætatem evecti codicis cadat ? Sed profecto ut majorum temporibus misera Judæorum gens infantes in cruces egisse , vel fontes veneno infecisse saepius accusabatur , ita nunc eorum libri hujus generis conviciis , & accusationibus proscinduntur . Hanc tenus quæ mihi in mentem tum veniebant , quæque sub acumen styli sponte sua velut se dabant . Quod si his non adquiescat Anonymus , sententiamque suam eadem , qua effutivit , tueri rusticitate velit , ostendendi sunt Codices , quorum fata altius , quam ab inventa arte typographica repeti possunt . Num Pentateuchus ille famigeratissimus initio Sæculi XIV. Bononiensis bus dono datus , Sæculo XV , vel paullo post scriptus esse videri potest ? Num codex Bibliorum in Bibliothecam Monasterii Dominicanorum Bononiensis illatus an. 1310 ? Num Reuchlinianus , quem exeunte Sæc. XV. Romæ venditum , atque emptum scimus ? Num Pentateuchus Regis Augustissimi Magnæ Britanniæ , qui in Synagoga Hierosolymitana

rofolymitana usque ad captam urbem ab Imperatore Selim an. 1517. custodiebatur (\*)? Num codices, qui pulsis ex urbe Argentorato (\*\*) Judæis an. 1349. ( vide Schoepflin Alsat. illustr. T.II. pag.343. ) libris Academiæ ejusdem urbis accesserunt? Num denique qui a Judæis exarati sunt iis in locis, unde ante trecentos, quadringentos quingentos annos excedere ipsi coacti sunt? Num

alii

(\*) Insignis est de hoc MS. in Kennicotti libello *Ten annual Accounts* p.125. locus, quem hic totum Latine describam: „Sed ex quo mā-  
„gnus operi accessit honor digni-  
„tasque, est MS, quem jussu Regis  
„Augustissimi summi, & munifi-  
„centissimi hujus operis fautoris pro  
„Bibliotheca Regia nuper coëmī.  
„Hic quantivis pretiis MS. universa  
„Biblia complectens collatus est,  
„aliisque, quos vidi MSS. ea de cau-  
„sa antecellit, quod non solum ad  
„Synagogam quamdam pertinuit,  
„quamquam hoc ipsum non levis  
„momenti est, cum Variantes Le-  
„tiones non parvo numero conti-  
„neat, sed ad eam, quæ in ipsa ur-  
„be Hierosolymarum erat. Cele-  
„bris enim quidam Rabbinus natus  
„in Hispania anno 1194. Synago-  
„gam Hierosolymis ædificavit, at-  
„que hac in Synagoga exstructa  
„quingentis ante annis hic MS 400.  
„annis adhuc antiquior magno cum  
„honore servatus est, quo usque Hie-  
„rosolymæ ab Imperatore an. 1517.  
„captæ sunt. MS, centurio qui-

„dam Turcicus spolium fecit, quā  
„Aleppum illum comportavit, ubi  
„anno 1683. in manus celeberrī-  
„mi d'Arvieux incidit, atque ab  
„Anglo quodam postea coemptus  
„est, qui patriam suam hoc monu-  
„mento ornare voluit.

(\*\*) Kennicottus in epistola, quam anno 1770. a. d. Maj. 22. Anglice scriptam edidit ( vide *The Gazetteer & Nevu daily Advertiser Saturday Jun. 9, 1770.* ), Argentinensis Synagogæ meminerat, eamque aliis, quæ in Europa sunt Judaicæ nationis Synagogis adnumeraverat, quo nomine Gallus Anonymus, & Anglus necio quis ( vide *Baldwvins London Weekly Journal Saturday Jan. 18, 1772.* Num. 556. ) satis inclementer magna virum acceperunt; quum nulla, quod ipsi ajunt, Argentorati Synagoga sit, immo nec noctū in urbe ejus nationis hominibus permanere liceat. Sed esto: non habeant, quod assentior, ullum in urbe Argentorato Judæi sacrī suis destinatum locum; tamen prope eamdem urbem, ac præ ipsis ejus portis ignobilis quidam,

alli , quorum historia cum collatione in scriniis Tuis servatur ? Sed quis adeo otio abundet , ut hæc ferio recordare possit ?

Quæ secundo loco Anonymus posuit ad infirmariam MSS. Hebraicorum dignitatem , adeo a vero aberrantia , sibique parum constantia , & mendaciorum plena sunt , ut nisi ipsa auctoris Gallica verba afferam , vix , opinor , lectores mihi fidem habituri sint . En igitur illa : II. *La plupart des Manuscripts qui ne sont pas datés , ont les notes Massorethiques dans la marge sous la figure d'ours , de chiens & autres animaux des plus singuliers & vous les estimez comme les meilleurs & les plus anciens.* Qui Te hos MSS. optimos , & antiquissimos habere contendit , profecto illos intelligit , quorum Massorethicæ annotationes figuris animalium expressæ ad oras subscriptæ sunt ; quod tum verborum nexus suadet , tum quæ apud auctorem mox leguntur , plane evincunt . Sed qua tanta impudentia fieri dicam , ut Tibi sententiæ adscribantur , a quibus alienissimus es ? Ubi enim ejusmodi quiddam professus es ? Professus autem ? Im-

me

dam , & obscurus vicus est ( nominis non memini ) in quo iidem suos conuentus celebrant : confluentibus eo non modo qui vicum incolunt , sed ex universa vicinia , atque adeo ex ipso Argentorato Judæis ad stata facera , ceteraque , quæ suæ religionis sunt , obeunda . Quid autem huic Synagogæ nonne melius , magisque ex loquendi consuetudine omnium gentium , & fœclorum a vicinia Urbis nobilissimæ , in qua constituta est , nomen affinges ? Nonne S. Laurentii ,

S. Pauli Basilikas Romanas cognominamus ? Non Metellae sepulchrum Romæ esse dicimus ? Quæ tamen loca multo ab Urbe , quam Argentinensis Synagoga ab Argentorato , longius recessunt . Jam in hac urbe me Judæorum domos unam , alteramque Hebraicorum codicum gratia perlustrare memini . Quare quosdam , etsi paucissimos , ibi tolerari , quod nostri adversarii omnino negant , non frustra conjecterem .

mo vero quo loco non contra docuisti, Codices, qui Ma-  
 foram vel plane nullam, vel simplicem demptis orna-  
 mentis habeant, præstantiores esse? At ista præterea-  
 mus, quæ in Te calumniatur. Illud modo paullo accu-  
 ratius expendamus, quod de ætate MSS, deque annis  
 qui scriptis libris apponuntur effutivit. *Maxima Manu-  
 scriptorum pars*, inquit, *ætatem suam* haud indicantium  
*Masorethicas annotationes* in margine habet figuris ursorum,  
 canum, aliorumque animalium valde singularium re-  
 præsentatas. Anonymi ne, quæso, hæc observatio, an Tua  
 & aliorum? Si auctoris; velim eam approbet, nec modo  
 prolatis ejusmodi codicibus uno, vel altero eamdem  
 digito velut demonstret, sed in majorem horum par-  
 tem cadere plane evincat. Tu enim, ceterique Critici  
 aliter sentiunt. Nam ut in antiquissimis Græcis, Latini-  
 sque Codicibus plerumque indicium anni abest, ita  
 etiam rem habere in Hebraicis, docti assensi sunt, ex  
 quibus Wolfius instar omnium modo sit in Biblioth.  
 Hebr. P.II. pag.325. *Cum antiquissimi etiam codices nec*  
*temporis notam, nec librariorum nomina interdum repre-  
 sentare soleant.* Sed iidem viri docti antiquissimos codices  
 Masorâ destitui animadverterunt, quod facit Jablonsky  
 hoc nomine Wolfio laudatus l.c. p.336. *Si igitur Codex*  
*cetera antiquus nullam Masoram prorsus habuerit, per antiquus*  
*erit, si veterus solam Masoram parvam præfert, media erit æta-*  
*tis &c.* Atque hæc quidem *κριτικῶν* hominum verba,  
 quam vacillans sit Anonymi observatio, rimarumque ple-  
 na, eccei non persuadebunt? Nam si antiquiores Co-  
 dices, qui nullum annum appictum habent, qui præ-  
 terea Masora carent; qui quæso fieri potest, ut Masora  
 in

## ( XLIII. )

in plerisque libris , quorum ætas minime indicatur apparetis animalium figuris exhibeatur ? Sane ubi nulla adest Masora , ibi nec animalium figuræ referre posse perspicuum est . Sed manum jam de tabula : satis enim operæ insumptum est iis refutandis , quæ cum omnibus Criticæ nationis judiciis , tum communi plane sensu aperte adversantur . Quamquam nec omnino lusisse operam dicendi sumus , qui hoc inde commodi sumus consecuti , ut quibus fortasse rationibus auctores Ephemeridum permoti has Anonymi animadversiones doctas , & ad criticam trutinam exactas dixerint , clare , nisi me omnia fallunt , intelligeremus .

Multus fuit adversarius in elevanda Cantabrigiensis num. 68. auctoritate , atque ex 12000. variantibus vix 4500. reperiri contendit , quæ non sunt ad verba ullius linguæ , vel significationis , vel transpositiones , vel additiones , vel lituras , vel omissiones referendæ ; ad quæ omnia recte in epistola observatum est ( vide supra pag.X. ), impudenter hominem dicere non ausum fuisse inter variantes non inveniri Lectiones magni momenti . Quare non est , quod gratias agat auctoriibus Ephemeridum , qui illum affirmasse scribunt , *has 4500. lectiones nullius esse momenti* (\*) . Miror , nostris auctoriibus , quos accuratissima diligentia uti oportet in aliorum sententiis , dictisque referendis , excidere talia potuisse .

Quod

(\*) „ Che le varianti scoperte in  
„ essi non faranno certamente ono-  
„ re alla sua gran collezione , e che  
„ le 12000. varianti del MS. al nu-

„ mero 68. della Bibl. di Cambrid-  
„ ge appena si riducono a 4500. e  
„ queste di nessun senso , pag. 26.

Quod ad ipsum Cantabrigensem MS. Hebraicum attinet haud scio, an celeberrimo eidem Academiæ a Theodoro Beza dono dato comparandus sit. Hic enim Codex Græcus & culpatus, & laudatus Criticis, tum vitiis scatere, tum multis frugi lectionibus insignis fertur. Omnes igitur additiones, omissiones &c. tamquam aperta sphalmata in Hebraico Codice ab Anonymo adnotatae non impediunt, quo minus & ille ob alias multas lectiones præstantioribus adnumeretur. Audiamus quæso Millium Prol. §. 1274, qui plurimum adhuc fortasse mendorum reum Codicem Græcum peregit, quam Anonymus Hebraicum. Reperiuntur in eo, ut observat vocabula pro genuinis alia, neutiquam σημαντικέπει, adeoque ad historiæ claritatem, ac ubertatem nihil conferentia; mutationes numerorum, casuum, generum, temporum passim factæ absque omni causa; transpositiones infinitæ, quarum nulla idonea ratio vel fingi poterit; contraria deinde plurima, Ο excise hic inde partes, Ο quidem totæ sententiæ, quæ ad historiæ Evangelicæ integritatem faciunt. Item: vix dici potest, quam supra omnem modum in iis digerendis licenter se gesserit, ac plane lascivierit interpolator. Idem tamen §. 1278: Verum utcumque, inquit, mire interpolata sint hujuscem Codicis Græca; cum tamen in multis retineant puritatem primæ vorum, unde deductæ sunt, fontium, copiam certe haud exiguum exhibent genuinarum lectionum a receptis hodiernis discrepantium. Hæc de Græco libro Millius, qui si nihilominus tot scripturarum monstris deteritus non est, quo minus eum multis laudibus, ut par erat, ornaret, quid causæ, quæso, com-

communisci Anonymus Gallus potuit , quo minus nos  
Hebraicum Codicem eodem loco , & ordine habeamus ,  
quo Græcum suum Millius ?

Sed ut pluribus adhuc Cantabrigiensem ab Anony-  
mo injuriā reprehendi ostendatur , animadverto Cantabri-  
giensem etiam ibi acerbe castigari , ubi librarius erro-  
rem jam correxerat . Cum enim in codice Num. XI. 1.  
בָּעִינִי בְּאַזְנוֹ ( vid. Lettres &c. pag.28. ) & Jer. XLVI. 6.  
צִירָדָן צִירָן ( pag.30. ) occurrit , omnis æquus rei æsti-  
mator , & consuetudinis librariorum in mendis corri-  
gendifis non ignarus , in priore vocabulo offendisse de-  
scriptores , in posteriore lapsum correxisse statim in ani-  
mum inducit . Notum enim , antiquiores librarios sibi  
religioni duxisse , vocem scriptam , etiam si minus recte  
haberet , delere , tolli mendum arbitratos , si vera le-  
ctio ipsi continuo apponenteretur . Quid enim nobis sie-  
ret , si Anonymo diem diceremus eorum erratorum  
causa , quibus ipse in catalogo corrigendorum mede-  
lam attulit ? Melius honori suo prospectum fuisset , si  
nec ob alia oscitantiæ suæ exempla in catalogo illo  
prætermissa se deridendum nobis præbuisset . Vide su-  
pra pag.XII , & in ejus libello pag.15 , ubi ad 1. Reg.  
XVIII. 16 , annotandum fuisset num de priore , an post-  
eriore אַחֲרָב , quod in hoc versu legitur , sermo sit ; at-  
que pag.29. וְאֵת אֶצְרוֹ tamquam MS. cuiusdam lectio-  
nem affert , cum tamen , si versioni fidendum , MS.  
legat אַרְצָנוּ , atque in indice errorum lin. 10. sic :  
page 32. lig.1. ortographe lis. orthopgraphe . Tantum enim  
interessit inter librarii ab Anonymo reprehensi diligen-  
tiam , istiusque Anonymi , ut librarius sphalmata sua

agno-

De agnoscet, & emendet, editor autem menda mendis cum  
re mulet.

Quid quod in tota sua dissertatione cum contra  
MSS. Hebraicos disputat, ac præsertim Cantabrigensem  
non magis ad Hebraicæ, quam ad universæ Criticæ re-  
gulas bonus Anonymus offendit? Qua in re magnopere  
Tibi gratulandum censeo, cum initæ abs Te in præclaro  
opere Tuo rationes ita comparatæ sint, ut labefactari,  
nisi præstantissima liberalium facultatum eodem tem-  
pore funditus convellatur, non possint. Muta enim,  
ut pro Hebraicis codicibus Græci, Latini, antiqui de-  
nique quicumque codices in ejus libro supponatur,  
jam totum Criticum studium, quantumcumque est ab  
eo impeti, ac traduci, cum omnes intelligent, tum ipsis  
opinor, in primis Ephemeridum conscriptores non ne-  
gabunt, qui eum & docti appellatione cohonestarunt,  
& opus tanto scelere contaminatum præstantibus adnu-  
meraverunt. Quid autem? exigit Anonymus, ut MSS.  
Hebraici tam puri, tam correcti sint, quam textus ipse  
Hebraicus. Respondit jam antea amicus Tuus. Sed si  
hanc Critici regulam in antiquorum edendis monu-  
mentis, quacumque demum hi lingua loquuti sint,  
sequi instituant, quid, quæso, tota Critice fiet? Quis  
enim umquam adhiberi potest hujusmodi MS. in eden-  
dis libris, vel quis non perverse adhuc adhibitus est?  
Atque ut intra limites sacrarum litterarum sistamus,  
nonne singuli Græci Codices N. T. depravatores, jeju-  
niores, errorumque pleniores sunt, quam textus rece-  
ptus? Nihilominus ex his ipsis codicibus non veriti  
sunt viri docti ipsum textum emendare: nec aliter pro-  
fecto

## ( X L V I I . )

fecto, faciendum sibi esse statuerunt. Quod si singulas partes catalogi mendorum in MS. Cantabrigiensi ab Anonymo adnotatorum persequamur, ecquod eorum genus reperiemus, quod non æque in quemcumque cuiuscumque linguae codicem cadat? Ubinam librarii illi sunt, qui a verbis nullius plane linguae, ac sententiæ semper carent? Ubi codices, in quibus omnia sibi cohærent, nihil præpostere scriptum fit? Quis descripтор non innumeris in locis vel ob organorum, quibus litteræ efferruntur, ~~manū~~, vel ob scripturæ affinitatem litteras permutavit? Quis non in addendis litteris prodigum, non in omissis oscitantem se, negligentem, supinum præbuit? Quis codex, quamvis præstans magnique pretii, in quem hæc omnia non cadant, & id genus alia, quæ Anonymus toto suo libro, ut fucum imperitis faciat, recenset? Quare vides, Vir præstantissime: non amplius hic Tua res agitur, sed tota ars Critica, quantacumque ea est, in discrimen vocatur; non Tu, sed omnes quicumque hactenus libros a se correctos ediderunt, castigantur; non Tui Codices futilitatis accusantur, sed omnes, quos tamquam magna ~~secula~~ Viri Principes, & Litterati in reconditionibus Bibliothecarum suarum pluteis servant; non Tu inutile opus moliri, sed summi quique viri, quos principes, & statores litterarum, quæ ab humanitate nomen ducent, veneramur, otio suo abusi esse, nugas egisse, inanis labores suscepisse, pecunias profudisse, non magis falso, quam impudenter arguuntur.

De texto Samaritano, ejusque MSS. cum multa aliena & absurdâ Anonymo exciderunt, tum auctores Epheme-

me.

## ( XLVIII. )

meridum non satis considerate fecerunt, qui illum hac  
 parte sequuti sunt. Idem, inquit (\*), *Anonymus ostien-*  
*dit de Samaritano nostrorum Polyglottorum textu*, quem  
*frustra emendare Anglus Editor studet ope MSS.*, quorum  
*multi recentiores sunt, quam ut eorum auctoritas valere quid-*  
*quam in tam magni momenti rebus possit.* In his quidem  
 verbis primo illud displicet *multi*. Quis enim sexde-  
 cim admodum, quos tota qua late patet Europa repe-  
 riri scimus (\*\*), MSS. Samaritanos *multos dixerit?* At  
 auctoribus Ephemeridum non ipsos sexdecim, sed partem  
 eorum hoc nomine appellare placuit. Quam autem con-  
 tra D. Kennicott, ejusque methodum corrigendi textum  
 receptum ex MSS. rationem instruunt, minus firmo-  
 tali ntitur. Quis enim probavit, vel evincere um-  
 quam conatus est, MS. Morinianum, basim vulgati tex-  
 tus Samaritani (\*\*\*) , omnium codicum Samaritanorum  
 & antiquissimum esse, & præstantissimum? Delituerunt  
 enim usque ad Tua tempora, Vir vere Chalcentere, vel si  
 hoc magis nomen modestia Tua patitur, Philopone,  
 MSS. Samaritani nemini omnino, aut parum certe co-  
 gniti, ut nulla esse possit dubitatio, quin si horum  
 aliquis in Morini manus primum incidisset, in vulgus  
 editus fuisset, quem quidem tum tamquam optimum,  
 & vetustissimum laudare debuissimus, posthabitatis aliis,  
 eoque

(\*) „ La stessa cosa dimostra „ ro autorità possa essere di qualche  
 „ l'Anonimo circa il testo Samarita- „ peso in materia di tanto momen-  
 „ no delle nostre Poliglotte, che in- „ to.  
 „ darno pretende di correggere l' In-  
 „ glese Editore coll' ajuto de' Mano-  
 „ scritti, molti de' quali fono di una  
 „ data troppo recente, perchè la lo-

(\*\*) Vid. Kennicotti *Ten annual  
Accounts* pag. 120.

(\*\*\*) Vid. libr. cit. ibid.

## ( X L I X . )

coque in primis , quem bona fortuna honore editionis  
mactaverit . Sed nimis diu & Tuo , Vir præstantissi-  
me , & meo , quod totum Tuum est , tempore abutor  
qui hæc Tecum garrio .

Ibidem Auctores Ephemeridum et si in multis rebus  
Anonymo contra Te assentiuntur , tamen non negant ,  
illum labi interdum in aliquot errores (\*). Verius , opini-  
or , dixissent in sexcentos , eosque turpisimos , & vel ti-  
rone indignos . Quid enim flagitious esse potest , quam  
alios ignorantiae linguæ Hebraicæ accusare , regulas  
grammaticas docere , doctorem se , & magistrum hujus  
linguæ profiteri , & tamen in primis ejus elementis in-  
fantem , & ignarissimum deprehendi ? Sed jam ad sint tiro-  
nes ipsi , quibus hominem vellendum , castigandumque  
trado . Immo

Concurrite omnes Augures , Haruspices ,  
Portentum inusitatum conflatum est recens :  
Namque alios qui docebat tiro factus est .

Ac I. quatuor textus emendationes in sphalmata re-  
tulit . Vide supra pag.X , & XIII ; quibus adjunge sis  
duas præterea pag.XIV .

II. In explicandis quatuor verbis versionis Samari-  
næ totidem peccata admisit . Qua de re vide pag.381. Epist.  
doctissimi , nobisque amicissimi Jacobi Jonæ Biornstahl ad  
R. P. Gabrielem Fabricy Casanatensem Theologum , vi-  
rum & ipsum doctissimum , cui me multis nominibus ob-  
strictum sentio , præ meque fero , quæ cum opere ejusdem

D

Pa-

(\*) Tuttavia cade anch' egli in „ Biornstahl in una lettera stampa .  
» qualche sbaglio , ch'è stato ben „ ta in Roma .  
» confutato dall' eruditissimo Sig.

## ( L. )

Patris propediem in vulgus emitetur. (\*).

III. Septem lectionibus nullam subesse sententiam dicit pag. 26. (\*\*). Tamen quatuor vel meliores sunt impressis, vel saltem defensione non carent, modo in secunda punctetur תְּהִלָּה illum (suffixum enim הַ pro i in multis locis admittere debet, qui integratatem textus vulgati tuetur, ex. gr. in תְּהִלָּה Gen. IX, 21. XIII, 3.) non, ut fecit, תְּהִלָּה tu. De harum una jam antea dictum est pag. XIII, tres reliquæ consentiant, nec ne cum antecedentibus, & consequentibus, lectorum esto judicium; ad me quod attinet, integra commata cum lectio-

(\*) „ Mais l'auteur des Lettres, qui critique vivement M. Kennicott tombe dans des écarts également répréhensibles, & pour expliquer ( pag. 92. suiv. ) quatre termes de la Version Samaritaine, il fait tout autant de fautes contre la Langue, & la Grammaire. Pour le bien du Dialecte Samaritain il suffit de faire observer à M. l'Ex-Professeur en Hébreu. I. Que selon l'analogie de cette même langue, l'affixe ה ne désigne pas toujours le féminin; mais qu'on l'emploie encore pour le masculin: ce qui arrive aussi dans les langues Chaldéenne, Syriaque, & Arabe. II. Que ה in Samarinian n'a pas d'autre signification que celle de Feu, & non celle de Lanterne. III. Que הַן signifie la Loi, & non le Feu. IV. Que הַן doit s'expliquer pour eux,

„ comme s'il y avoit להן par ce que cette contraction est très- usitée dans le Dialecte Samaritain. D'où il est facile de voir que cette signification est bien différente de celle de Loger, comme on la lui donne dans les Lettres de l'Exprofesseur. V. Enfin qu'on explique fort mal le Samaritain par la seule Grammaire Hébraïque, & que l'Auteur des dites lettres a eu tort de tourner en ridicule la Version Samaritaine, en traduisant: Elle loge dans sa main droite une Lanterne, ou un Feu de Lumière. Le ridicule ne tombe que sur l'ignorance. Haec in cit. Epist., cuius exemplar seorsim editum donec cl. auctoris apud me servo.

(\*\*) „ Les seconde Variantes sont de ces mots qui, quoiqu'Hébreux, ne présentent aucun sens relatif aux passages où ils se trouvent,

## ( L I . )

lectionibus ab eo rejectis hoc loco Latine subjiciam.

Exo. XXXII , 26. Et stetit Moses in porta castrorum , Θ dicebatur ( nomine Mosis ) qui Jehovah , ad illum ( Mo- sen ) sese congreget , Θ congregabantur ad illum omnes filii Levi .

Lev. IV , 35. Et omnem adipem ipsius auferet , sicut sublatus fuit adeps ovis sacrificii pacifici , Θ incendet il- lum חָלֵב אֶתְהָה ( scilicet חָלֵב super altare Θc .

Num. XXI , 7. Et venit populus ad Mosen , Θ di- xit Θc .

IV. Verbum אִתּוּ nullius esse linguae clamat (\*) , quod tamen legitur Psal. XIX , 14.

V. Phrasin בְּרִאשׁוֹן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם Jof. V , 10. ve- lut absurdam irridet , nulliusque ut putat sensus (\*\*), quum tamen ipfissima verba Exod. XII , 18. occurrant. Agnosce enim mecum , lector , primo ineptam , si Diis placet , MS. lectionem Jof. V , 10. וַיַּעֲשֵׂו אֶת הַפָּסָח בְּרִאשׁוֹן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם לְחַדֵּשׁ בְּעֶרֶב בְּעֲרֻבּוֹת יְרִיחֹו i. e. Θ fecerunt Pascha primo ( mensē ) quarto decimo die mensis , vespere in campesribus Jericho , atque miraberis deinde , ludibrio haberí potuisse verba , quæ ex sanctissimo Mosis ore profecta sunt . Nam quæ in MS. Jofus tribuuntur verba in narratione celebrati Gilgale Pascha- tis , eadem Moses adhibuit , quando celebrandum illud

D 2 præ-

(\*) Avant ce mot il a ajouté premier , dans le quatorzième jour : בְּנֵי אִתּוּ qui n' est d' aucune Langue nam ubicumque lectionem absurdia- pag. 17. tatis insimulare vult , charactere ,

(\*\*) Explodendam hanc lectionem esse Anonymi judicio patet ex ver- quem vocant , cursivo illam exprimunt . Vide omnia exempla in ejus satione , quam horum verborum dat catalogo . pag. 18. ad cit. losum Jof. dans le

פָּרָשׁוֹן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר יוֹם לְחֶדֶשׁ 18. præcepit Exod. XII , 18. בְּעֵרֶב חָאכְלָו מִצְתָּה i. e. primo ( mense ) decimo quarto die mensis vespere comedite azyma &c.

VI. Vocem nihil significare dixit (\*), sed quilibet tiro, qui vertere novit Exod. 13.. וַיַּעֲבֹדוּ מִצְרָיִם . אֶת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל servire fecerunt Ægyptii filios Israel, ne in hac quidem voce hæsitabit, illamque reddet, שְׁרֵירַת illos fecerunt .

VII. Dictionem **לייזירה** vel aliter, quam de mundo condito interpretatus est, vel in versione plane prætermisit (\*\*). Quum enim Kennicottus hanc notam, sive siglum **הַתּוֹרָה לייזירה** annum 610. mundi conditi indicare dixisset ( nec aliter hæc verba, quicumque sit, vel harum litterarum peritissimus, id est Kennicotti similis, vel illis leviter tinctus, qualis Ex-professor est, intelligere potest ), Anonymus noster Rabbino-Gallus in MS. continua serie prioribus verbis annexum legi contendit לבני בית הבחירה, aliquam idcirco, quam conditi mundi epocham quærendam esse putat . Sed de-  
mus, in MS. extare לבני וג' , tamen frustra labo-

(\*) Jof. IV , 8. וַיַּעֲבִידוּם il „ comme vous devez scavoir, il n'y signifioit : ils les ont servi ; mais „ a que les lettres marquées par un „ comme le ' se trouve après le ב „ accent aigu qui comptent . Mais „ le mot entier ne signifie rien „ il y a tout de suite dans le Ma-  
לְבָנִים בֵּית הַבְּחִירָה pag. 18. „ nuscrit „ de la construction du Temple .

(\*\*) „ Vous dites (première Dissert. „ pag. 342. ) qu'il est écrit par Ja- „ cob Levi , & daté par ces mots „ du premier, du second ou du troi- „ sième ; & vous , vous deviez en „ ayant que ces deux termes, il n'y „ auroit aucune difficulté , & cela „ signifieroit l' an 610. ; parceque „ voyant ces derniers mots, faire le „ calcul nécessaire , vous m'en au- „ riez évité la peine „ pag. 24.

## ( L I I I . )

laborat , dum verbi **לִיצִירָה** ad solam epocham mundi conditi seſe referentis nullam rationem habet , & de inventienda alia epocha exſtructi templi ſollicitus eſt . Si meam hac de re interponere conjecturam licet , Anonymus ille ante verbum **לְבָנֵינוּ** aliud ſigilum ſimile ejus , quod **לִיצִירָה** præcedit , incuriosus & oſcitans , ut ſolet , omifit . Nam Codices nonnullos Hebraicos , ad duplēm æram cum mundi conditi , tum ædificati , vel deſtructi templi Hierosolymitani annos ſuos computare ſolitos eſſe , quid ego hic perſequar ?

VIII. Lectionem tamquam rejiculam , ac nihilominimo faciendam explodit (\*) ; in qua tamen , leviter ut dicam , eft cur eum minus præcipitem , magisque lento , & circumſpecto judicio uſum optaffem . Non enim ejusinodi eft , ut ſimul deprehensa , ſimul indicta cauſa repudianda videatur . Lis eft inter Kennicottum , & Anonymum de lectione **בַּמֶּקוֹם אֲשֶׁר יִשְׁחַט הַעֲלָה** quam ille ad Lev . IV , 29. in MS. quodam invenit , an ei **בַּמֶּקוֹם הַעֲלָה** textus vulgati anteferenda fit . Pofteriorē Anonymus tuetur , quoniam in loco holocausti nil aliud ſignificare poteſt , quam in loco ubi immolatur holocaustum . At qui ſimplici , ellipses rerefueri , & minutiffimas res perſequenti Moysis narrationi affuetus eft , in his quidem verbis **בַּמֶּקוֹם הַעֲלָה** aliquid hiuſcum , & deficiens ſentiet . Accedit quod quoties de loco immolandi holocausti alias fermo eft verba , quæ hic defunt , ſupplentur . Quod quidem fit Levit . IV , 24,33.

D 3

VII.

(\*) „ Cependant Vous exaltez „ , diguant de tels élogues à des titres „ cette Variante miserable . Que de „ , levesées „ ! pag. 80. „ ſoupe „ ons vous faites naître en pro-

VII, 2. nec usquam quantum memini במקום העלה occurrit nisi hoc , de quo controversia est, loco . Si versiones antiquas consulamus , omnes præter Vulgatam Latinam verba *In quo immolatur* expresse ponunt ; atque iisdem hoc v. 29. utuntur verbis , quæ v. 24. apud illas leguntur ; sed versu 24. etiam receptus Hebraicus inserit *In quo immolatur* . Vulgatae quidem assentitur Arabica Polyglottorum impressorum ; sed Tritaplorum Bibliothecæ Barberinæ , quæ Hebraica fere ad litteram reddit ( vide supra citatam epistolam Biornstahlianam ) vers. 29. ipsissima verba repetit , quæ vers. 24. adfuerant .

IX. Ex lectione Manuscrip. Kennicotto laudata ad II. Sam. XXIII , 4. יְהוָה שֶׁמֶשׁ nullam elici sententiam affirmat (\*) . Immo doctos provocat , ut , si fieri possit , sensum inde aliquem extundant . Ecquam autem difficultatem in illis verbis odoretur , fateor , ut sum obesæ præ Critico nostro naris , me plane ignorare . Num enim divino numini ortum adscribi זְהֹה יְהוָה ab Hebræorum loquendi consuetudine abhorret ? At Isa. LX , 2. יְהוָה וְאֱלֹהִים יְהוָה super te orietur ante oculos omnium positum est . An Soli majestas Divina minus commode comparatur ? At Ps. LXXXIV , 12. שֶׁמֶשׁ וּמַן יְהוָה Sol , οὐ πλεύς εστι Jeḥovah omnium ore frequentatur . Quid ergo tandem illud est , quod in his verbis displicere homini possit Exorietur ( tamquam ) sol Jeḥovah ? Fugere etiam non debuisset , celeberrimum Jo-

han-

(\*) „ Non content de nous rappeler une pareille bêtise , vous „ nous expliquer ce passage ; car je „ portez une pareille bêtise , vous „ defiez aucun Savant de donner un „ soutien que ce terme יהוָה ( le „ sens légitime à la leçon de votre „ Seigneur ) est très-à-propos écrit „ Manuscrit , pag. 81 .  
„ dans cet endroit . Il faudrait donc

hannem Davidem Michaelis , Philologum Goettingensem eximum , in Relationibus de novis libris , quæ olim Goettingæ edebantur , de inventa hac lectione abunde lætatum fuisse ; cujus quidem verba in secunda Kennicotti Dissertatione citantur . Sed neuter liber ad manus nunc est , ut paginam digito monstrare possem . Aliud erratum ferula dignum apud Anonymum occurrit eadem pagina , ubi שׁמָה הַרְחֵב verit *le seigneur du soleil* , quum tamen nomen הרְחֵב numquam in regimine positum fit , quod vel tirones norunt .

X. Exod.X , 18. nomina Moysis , & Aarons , quæ in illo loco deesse videntur , haud omnino repudiavit (\*) ; nec tamen vidit MS. in secunda Dissertatione laudatum , qui unum horum nominum , scilicet Moysis ponit , ad lectionem probabilem magis accedere (\*\*), quam vulgatum textum , qui utrumque omittit .

XI. Reprehensurus MS. Samaritanum Bibliothecæ Sanctæ Genovæ lectiones attulit non hujus quidem MS. proprias , sed quæ ipfi cum quibuscumque aliis Samaritanis communes sunt . Ac sane lectiones pag.20 , &c. ad Gen.V , 18 , 28. VI , 19 , 20. VII , 3. XX , 5 , 10. Deut.V , 9. i. e. fere omnes adductæ , quæ ex hoc MS. proferuntur (\*\*\*) , in Samaritano Polyglottorum Londinen-

(\*) „ Si on vouloit ajouter des dition qu'en fait votre Manuscrit nominatifs aux verbes , qui sont dans ce veret , il falloit donc mettre Moysé , & Aaron sortirent d'avec Pharaon , „ pag.81.

„ est absolument déplacée „ pag.81.

(\*\*\*) „ Passons aux MSS. de Sainte Geneviève . Il y en a deux , un Samaritain , & un Hébreu . Je Vous ai promis das variantes du Samaritain , en voisi „ pag.20.

sium reperiuntur . Quid ergo faciunt contra MS. Genovefanum , qua ceteris hujus generis opponitur ? nisi istud Manuscripto vitio vertere voluit , quod Samaritanus , non Hebraicus fit , atque ad illorum , non horum codicum normam accommodatus .

XII. Kennicottianam methodum corrigendi Hebraicum textum ex Samaritano confutaturus , pro hujus lectionibus nullius sententiæ , nulliusque linguæ , quarum jactabundus specimen edit pag.33. &c. (\*) menda typographica Polyglottorum Londinenium corrogat . Nam Gen.III , 22. טוֹר . XIII , 6. יְהָרָן . XX , 13. נְכַחַת . XXII , 24. הָאָתֶ מִעֲכָה . XXVII , 31. עַמּוֹיָה . in MSS. Samaritanis minime reperiuntur . In Catalogo enim diversitatum hujus , Hebraicique textus , qui sexto Tomo Polyglottorum Londinenium insertus est , nihil ad hæc verba diversi annotatur , quum contra si ad hunc modum in Samaritano legeretur , in Hebraico aliter haberi moneretur . Quamquam nec sextus hic Polyglottorum Tomus , nec quidquid alias ad historiam Samaritanam pertinet , fuisse Anonymo nostro notum videatur ; qui si istud non ignorasset , diversas lectiones textus Hebraici , & Samaritani a Waltono , ejusque amicis in VI. Polyglottorum Tomo collectas esse , vix , opinor , inanem laborem suscepisset eas iterum congreendi . Nihilominus tamen , tamquam rem valde laude dignam nobis narrat , tantæ se patientiæ fuisse (\*\*), ut

(\*) „ 1. Environ 700. Variantes, „ collationner toute la Genèse, Scœ „ dont les unes ne font aucun sens, „ vez-vous ce que j' y ai trouvé ? „ & les autres ne font d' aucune „ 1. Environ 700 Variantes &c. „ langue . „ pag.33.

(\*\*) „ J' ai eu la patience d' en

## ( LVII. )

ut universum librum Geneseos conferret, variasque lectiones ex ipso delectas magno apparatu proponit. Samaritanorum vero historiæ, quam ruditis sit, quis non videt? Post captivitatem enim Babyloniam nihil illos mandasse litteris contendit (\*). Ergo solus iste videlicet in his litteris peregrinus, solus hospes, qui de Chronico Samaritico ne fando quidem audiverit? Apage hinc te, mi doctor.

Sed ohe! jam satis est: todet enim plures errores afferre, ac ne necesse quidem, quum quos haec tenus recensuimus, satis illum ineptum, nec ullo modo idoneum ad judicium de Kennicotto, ejusque opere ferendum testentur. Itaque vela jam contrahamus, aliisque Augiae hoc stabulum everrendum, ac purgandum relinquamus. Relinquamus, inquam: nec enim totum ipse, aut maximam ejus partem exhaustimus: velut cum disputationem, quam pag. 101. &c. instituit super Psal. XVI. 10. ad pluralem numerum defendendum, ne verbo quidem attigimus; in qua tamen tam multis locis Anonymus hallucinatur, tam multa peccat, tam secum ipse, & cum veritate pugnat, ut ea non tam cum Augiae stabulo, quam cum centicipi Hydra comparanda videatur. Quod si quis est, qui ita secum reputet, in librum 130. paginarum, quantus est iste Anonymi contra Kennicottum, aliquot errores facile irreperere potuisse, is sic habeat, non tam numerum, quam immanitatem errorum Anonymum premere, nec toto libello, sed minima ipsius parte de-

Ken-

(\*) Or vous savez bien que les „aucun livre après la captivité „ Samaritains n' ont jamais écrit pag. 98.

## ( LVIII. )

Kennicotto , atque Hebraicorum MSS. collatione dispu-  
tari . Seposita enim tertia epifola , quæ præceptiones  
Grammaticas tradit , & initio quartæ de lectionibus  
Keri , ac disputatione contra Deiftas ( quam frugi es-  
se , & a bono animo profectam , non sane inficior , sed  
cui tamen *non erat hic locus* ) , item prætermisſis cavilla-  
tionibus de itinere a me instituto , summa paginarum ,  
in quibus proprie Kennicottum , ejusque opus inſecta-  
tur , ne dimidiā quidem partem totius libelli conficit .  
Qua præterea in parte quot per tuam fidem dicteria ,  
quot intempestive dicta tollenda de medio effent , si ad  
iustæ disputationis speciem redigere eam velis ?

Sed satis jam verborum . Tu vale , Vir præstantiſ-  
fime ; quodque haclenus Te feciſſe , ac facere porro certo  
ſcio , omnes ingenii , omnes induſtriæ nervos in opus  
Tuum contendere , ut venire in manus hominum quam  
ornatissimum , & quam absolutissimum poſſit , ac cum  
exſpectationi omnium , quam commovisti , tum digni-  
tati rei , qua nulla excogitari major poſteſt , tum deni-  
que famæ ac nomini , non quod eo emiſſo ( quod Ano-  
nymus libelli ſui initio vereri videtur ) Tibi paries ,  
ſed quod diu jam Tibi , Anonymi , & ceterorum Zoilo-  
rum ingratiis , ampliſſimum , & immortale peperiſti , re-  
ſpondere . Iterum vale , & me , ut facis , amare perge .

Romæ prid. Kal. April. 1770. Icc. LXXII.

\* \* \*

P. S. Commodum has ad Te litteras exaraveram ,  
cum ex Germania affertur judicium Goettingenſium (\*) ,

Cri-

(\*) „ Goettingische gelehrte Anzeigen 7. Stück 4772.

## ( L I X . )

Criticorum emunctioris profecto naris , multoque magis  
in palæstra Philologiæ sacræ , quam Gallus ex-professor ,  
exercitatorum de hoc eodem ejus libello . Habes hic  
a me pariter Latine conversum ; in quo si nonnulla  
secus de Gallorum eruditione , atque adeo de Temet ipso  
dicta offendes ; non mihi , credo , quæ Tua æquitas ,  
& humanitas est , irascieris , qui videoas non alias  
meas in eo , quam fidi interpretis partes extitisse .

## R O M A E .

Hoc nomine , sed revera Parisiis acerba accusatio  
in Kennicottum prodiit inscripta : *Lettres de M. l' Abbé*  
*de ... Exprofesseur en Hebreu en l'université de .... au Sr Ken-*  
*nicott , Anglois de la Societé Royale de Londres & Associé*  
*au Collège d' Exeter en l' Université d' Oxford. à Rome 1771.*  
quæ , quod Gallicam eruditionem parum nobis com-  
mendat , Parisiis magni facta est , clamoresque excitavit .  
Apparet undique præter falsam de integritate textus  
recepti opinionem immane odium , quo Kennicottum  
Anonymous prosequitur ; atque magno amori religionis  
Catholicæ tanta conjuncta est inscitia sententiæ do-  
ctorum Catholicorum de re Critica ad religionem spe-  
stante ( nempe Varias lectiones Fontium Sacrarum Litte-  
rarum investigandas esse , cum ut Vulgata confirme-  
tur , tum ut Originali Textui ea detrahatur auctoritas ,  
quam Protestantes interdum disputationis æstu ab-  
repti eidem adscriperant ), ut maxime verisimile esse vi-  
deatur , quod nobis narratum est , Rabbinizantem Ex-  
professorem , tametsi specimina profert Hebraicorum  
MSS. optimarum Bibliothecarum a se inspectorum , es-  
te

se baptizatum quemdam Judæum , nominis . . . . .  
 quondam Francicum commissarium , deinde a Kennicott  
 eo adhibitum in Parisiensibus MSS. conferendis , sed post  
 ea majore , quam a Kennicotto dari poterat , stipen-  
 dio efflagitato , dimissum , ultionem fuisse meditatum .  
 Præcipua , quæ opponit , hæc sunt : I. Codices , quos  
 Kennicottus excerpit , omnes ferme recentiores esse ,  
 ex 400. nimirum 380. post Biblia impresa confectos ,  
 atque ut lucrum fieret , malitiose suppositos . Hæc nul-  
 la probatione in chartam conjiciuntur . II. Varias Lectio-  
 nes , quas Kennicottus collegit , nullius esse momenti ,  
 vel aperta sphalmata . Contra unam alicujus ponderis  
 diversitatem optimorum MSS. Ex-professor ait , se in eodem  
 MS. decem librarii errata indubitata monstrare posse ;  
 quod lubenter concedimus , atque adhuc plures ,  
 quam decem scribendi lapsus exspectaremus . Sed quo-  
 modo proba lectio invenietur , nisi totus excerpatur  
 Codex ? Tanta est ipsius audacia , ut ne lectionem qui-  
 dem Psal XVI. 10. חסידך sanctus tuus nunc a multitu-  
 dine MSS. confirmatam , cui omnes antiquæ versiones  
 adstipulantur , admittere velit ; sed חסידיך sancti tui  
 vera ab illo dicitur lectio , & tamen Psalmus de Chri-  
 sto agere . Est enim , inquit , vel pluralis excellentiæ ,  
 vel Jod est mater lectionis תְּ Sheva . Kennicottus illi  
 audit imperitissimus regularum Grammaticarum ( quo-  
 niam non omnibus regulis Grammaticis calculum adjic-  
 it , & fortasse interdum nimis sese Angulum prodit )  
 Thraso , desidiosus , nummorum avidissimus ; nec um-  
 quam discernit collectorem Variantium , cui fides , & di-  
 ligentia satis sunt , a Critico illas dijudicante , qui  
 mul-

multarum rerum cognitione opus habet , vel virum anno 1753. primitias studiorum exhibentem , & auto-didactum a scriptore , qualis anno 1770. est ; sed nil nisi vitia colligit , maximam partem ementitia , ex prioribus ejus scriptis . Interdum recte contra Kennicottum concludit : e. g. quando ille non ad amissim Analogiæ Grammaticæ Orientalis , sed Latinæ textum corrigere vult , atque statim in vitium Grammaticum se esse incidisse arbitratur , ubi fortasse Orientalibus major data fuit libertas in verborum constructione , quam nobis Europæis , vel Keri , atque Masoram fine jure reprehendit . Sed etiam ubi veritas pro eo stat , male causam tuetur , & ex Judaicis opinionibus . Illud præcipuum , quod ex ejus opusculo disci potest , est , haud multos pro codicibus offerendos esse nummos , ne hominum alatur fraus , quibus fortasse supponere illos animus esset .



IMPRIMATVR,

Si videbitur Reverendiss. P. M. Sac. Pal. Apost.

D. Jordani Patr. Antioch. Vicefg.

V Oluntati R̄mi P. Thomæ Augustini Ricchinii Sacri  
Palatii Apostolici Magistri obsequutus , magna cum  
animi voluptate perlegi *Anonymi Epistolam de libello contra*  
*Benjaminum Kennicott* , ejusque collationem *Mss. Bibliorum*  
*Hebraicorum edito* , quam *ex Anglo vertit* , suasque ad  
eund. Benj. Kennicott literas adjecit Vir Clarissimus *Paulus*  
*Jacobus Bruns Lubecensis* ; & in iis , quod Catholicæ Fidei ,  
aut bonis moribus adversetur , inveni plane nihil . Quare  
utrumque Opus , summa quidem eruditione refertum di-  
gnum censeo , quod publici juris fiat .

Dabam Romæ e Bibliotheca Vaticana die 6. Aprilis 1772.

Steph. Evodius Affemanus Archiep. Apameæ  
Bibliothecæ Vaticanaæ Prefectus.

IMPRIMATVR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius O.P. S.P.A. Mag.



De  
ke  
tu  
vi  
gi  
u  
ta  
se  
di  
lt  
**A G**  
**T h e**  
v  
a  
q  
la  
ii  
u  
P  
te  
r  
n  
u  
n  
e

